De vocum Graecarum apud poetas Latinos a fine quarti usque ad sexti p. Chr. n. saeculi finem usu.

Dissertatio inauguralis philologica

quam scripsit et amplissimi

philosophorum ordinis consensu et auctoritate

ad summos in philosophia honores
in Universitate Friderica Guilelma Silesiaca

rite impetrandos

die 25 mensis Aprilis anni MCMXIII hora XI

una cum sententiis controversis in Aula Leopoldina

publice defendet

Carolus Eistert
Silesius

Adversarii erunt
Dr. phil. Lotharius Friese
Drd. phil. Bertholdus Jaekel

Trebnitziae
Typis Maretzke et Maertin
MCMXIII

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit

R. Foerster.

Examen rigorosum habitum est die 18 mensis Decembris 1912.

Ricardo Foerster

S.

Index rerum tractatarum.

Addenda et corrigenda.

pag. 7 l. 1. 32 scribe *Petschenig.*
„ 11 „ 6 „ *Endelechius.*
„ 15 „ 16 adnota: Lectionem codicum B²R *honos* pro ὁ νοῦς defendit A. Sundermeyer, De re metrica et rhythmica Martiani Capellae, Diss. Marpurg. 1905, p. 5.
„ 22 „ 21 scribe *Avian.*
„ 27 „ 6 „ *Melīte.*
„ 56 „ 17 „ *Schoenida.*

De vocum Graecarum apud poetas Latinos usu iam multis disputationibus verba facta sunt. Inter eos viros, qui id quaesiverunt, imprimis enumerentur L. Sniehotta [1]), A. Thiel [2]), H. Leimeister [3]), A. Zwiener [4]), P. Neumann [5]), A. E. Housman [6]). Quae de hac re antea scripta sunt, in praefationibus, quas Sniehotta et Thielius dissertationibus praemiserunt, plene relata sunt; itaque ea repetere supersedeo. Equidem eandem quaestionem ad poetas a fine quarti usque ad sextum p. Chr. n. saeculum i. e. usque ad Venantium Fortunatum, qui ultimus poeta Romanus nominatur, extendam.

Atque in materia pertractanda eandem fere viam atque Sniehotta, Zwiener, Neumannus ingressus sum, ita tamen, ut in altero capite Sniehottam et Neumannum sequerer, qui Graecas formas secundum causas efficientes disposuerunt, id quod melius existimo. Tertio autem capite, num quid metri diversitas vel usus poetarum ad Graecas formas valuerit servandas, quibus versuum locis poetae eas adhibuerint quibusque de causis vitia prosodiaca in nominibus Graecis admiserint, paucis demonstrare conatus sum. Ac ne materia obruerer, hymnos rhythmosque

---

1) L. Sniehotta, De vocum Graecarum apud poetas Latinos dactylicos ab Enni usque ad Ovidi tempora usu, Breslauer Philologische Abhandlungen IX 2, Breslau 1903.

2) A. Thiel, Iuvenalis graecissans sive de vocibus Graecis apud Iuvenalem, Vratislaviae 1905.

3) H. Leimeister, Die griech. Deklinationsformen bei den Dichtern Persius, Martialis und Juvenalis, Diss. Monac. 1908.

4) A. Zwiener, De vocum Graecarum apud poetas Latinos ab Ovidi temporibus usque ad primi p. Chr. n. saeculi finem usu, Breslauer Philologische Abhandlungen IX 6, 1909.

5) P. Neumann, De vocum Graecarum apud poetas Latinos ab Hadriani temporibus usque ad Claudiani aetatem usu, Diss. Vratisl. 1912.

6) A. E. Housman, The journal of philology XXXI 236 sqq.

qui dicuntur secludendos esse censui, praesertim cum in his mensura syllabarum plerumque plane neglegatur accentusque praevaleat. Item eos seclusi poetas, qui paucos tantum versus nobis reliquerunt. Denique adnoto me ad nomina Graeca etiam addidisse Hebraica, quae quidem Graecis afficiantur terminationibus.

Pertractavi igitur hos poetas et carmina haec[1]: Palladi librum XIV (de insitione), incerti auctoris carmen de Sodoma[2]), de Iona propheta[2]), Prudenti Clementis carmina, Hilari Pictaviensis de evangelio carmen, carmina quae Victorino cuidam tribuuntur (carm. de martyrio Macchabaeorum, de Iesu Christo deo et homine, de pascha sive de cruce sive de ligno vitae), Damasi epigrammata (cum pseudodamasianis), Probae centonem Vergilianum aliosque tres centones (Tityrus sive versus ad gratiam domini, de verbi incarnatione, de ecclesia), carmen ad quendam senatorem[3]), carmen contra Flavium Felicem sive contra paganos, carmen adversus Marcionitas, quod Tertulliani nomen prae se fert[4]), Paulini cuiusdam epigramma[5]), Cypriani Galli poetae Heptateuchon,

[1]) In enumerandis poetis carminibusque secutus sum ordinem, quem tenent: Teuffel-Schwabe, Geschichte der Roemischen Literatur, 5. Aufl. Leipzig 1890.

A. Ebert, Allgemeine Geschichte der Literatur des Mittelalters. Bd. I. Gesch. d. Christlich-Lateinischen Literatur von ihren Anfängen bis zum Zeitalter Karls des Grossen, Leipzig 1874.

M. Manitius, Geschichte der Christlich-Lateinischen Poesie bis zur Mitte des 8. Jhr., Stuttgart 1891.

Idem, Gesch. d. lat. Lit. d. Mittelalters, Iwan Muellers Handbuch d. klass. Altertumswissenschaft IX 2, 1. Teil, München 1911.

[2]) Haec carmina in codicibus Cypriano aut Tertulliano tribuuntur, sed ab his non esse facta inter omnes constat. Cf. Iuelicher, Pauly-Wissowa, R. E. IV 1941.

[3]) Quod carmen in codicibus Cypriani nomen prae se fert. Sed neque Carthaginiensem neque Gallum Cyprianum poetam fuisse demonstraverunt Manitius, Gesch. d. Christl. Lat. P. p. 130 et Iuelicher l. c. p. 1941.

[4]) De huius carminis tempore et auctore cf. E. Hueckstaet, Über das pseudotertullianische Gedicht adversus Marcionem. Diss. Lips. 1875. — A. Oxé, Prolegomena de carmine adv. Marcionitas Diss. Lips. 1888, qui vir doctus quandam cum Commodiano affinitatem statuit.

[5]) De auctore huius carminis vide quae coniecit C. Schenkl, C. S. E. L. XVI, Vindob. 1888, p. 501.

carmen de providentia divina, quod codicibus Prospero Aquitano ascribitur[1]), Claudi Mari Victoris Precationem et Alethias libros tres[2]), Hilari Arelatensis Genesin, Orienti Commonitorium nonnullaque carmina Orientio tributa (de nativitate domini, de epithetis salvatoris nostri, de trinitate, orationes), Prosperi Aquitani carmina (de ingratis, poema coniugis ad uxorem) et epigrammata, Paulini Pellaei Eucharisticon, Sidoni Apollinaris carmina (ea quoque, quae epistulis inserta sunt), Rustici Helpidi Domnuli carmina (historiarum testamenti veteris et novi tristicha, de Christi Iesu beneficiis carmen[3]), Phocae grammatici urbis Romae vitam Vergili, Paulini Petricordiae de vita Martini carmen aliaque carmina minora (de visitatione nepotis sui, de orantibus), Alcimi Ecdici Aviti poematum libros VI, Severi Sancti Endelechi carmen de mortibus boum, Paulini Nolani carmina[4]) (cum carmine de obitu Baebiani Nr. XXXII ed. Hartel.[5]), Seduli Carmen paschale duosque hymnos, Licenti carmen ad Augustinum, Symphosi aenigmata, Aviani fabulas, carmen incertae auctoritatis de figuris vel schematibus, carmen de ponderibus et mensuris, carmina, quae exstant in Martiani Capellae opere de nuptiis Philologiae et Mercuri, Namatiani carmen de reditu suo, Merobaudis carmina, panegyricum, Draconti de laudibus dei carmen, Satisfactionem, Romulea, Orestis tragoediam[6]), de origine rosarum, de mensibus,

[1]) Idem censet Manitius, Gesch. d. Christl. Lat. P. p. 170 contra Ebertium l. c. p. 317 et Teuffelium l. c. p. 1177.

[2]) Poetam huius carminis Victorinum aut Victorium fuisse evidenter fere demonstravit C. Schenkl, C. S. E. L. XVI, Vindob. 1888, p. 347 sq.

[3]) Domnulum etiam carmen de Christi Iesu beneficiis fecisse coniecit G. Brandes, Des Rusticius Helpidius Gedicht de Christi Iesu beneficiis, Gymnasialprogr. v. Braunschweig, Braunschweig 1890; idem, Wiener Studien XII 297 sq.

[4]) Quattuor carmina in appendice editionis suae, C. S. E. L. XIX et XXX non pertinere ad Paulinum Nolanum docuit Hartelius praef. XXXVII editionis.

[5]) Quod carmen a Paulino Nolano esse factum exposuit G. Brandes, Wiener Studien XII (1890) 288 sqq.

[6]) Orestis tragoediam Draconti esse carmen post A. Maium multosque alios (cf. K. Rossberg, Materialien zu einem Kommentar über die Orestis

carmen incerti auctoris quod inscribitur aegritudo Perdicae[1]), Luxori ceterorumque eius temporis[2]) poetarum Anthologiae Latinae carmina, quae continet codex Salmasianus, carmen incerti auctoris ad Flavium Felicem de resurrectione mortuorum[3]), Prisciani carmen de laude Anastasii imperatoris et periegesin[4]), Maximiani elegias, versus, quos Boethius operi suo, cui est titulus de consolatione philosophiae, intexuit, Ennodi carmina, Aratoris de actibus apostolorum carmen, epistulam ad Flavianum, epistulam ad Vigilium, ad Parthenium, Benedicti Crispi medicinae libellum, Corippi Iohannidem, in laudem Iustini Augusti minoris libros, panegyricum in laudem Anastasii, Isidori versus in bibliotheca[5]), Eugeni Toletani Hexaemeron[6]), Satisfactionem, carmina (cum appendice), Venanti Fortunati carmina (cum appendice[7])), vitam sancti Martini[8]).

---

tragoedia, Hildesheim 1888/89) demonstravit Fr. Vollmer, Pauly-Wissowa R. E. V 1635 sq.

[1]) Quod carmen Dracontio ascribendum eiusque Romuleis esse inserendum statuit Vollmer l. c. p. 1644.

[2]) Quos singillatim allatos invenis apud Teuffelium in historia litterarum Romanarum p. 1227.

[3]) Quod carmen, quod diu Tertulliani nomine vel Cypriani circumferebatur, carminibus Anthologiae Latinae inserendum est, si sequimur Manitium, Gesch. d. Christl. Lat. P. p. 345.

[4]) Priscianum utriusque carminis auctorem agnoscendum esse demonstravit P. Drathschmidt, De Prisciani grammatici Caesariensis carminibus, Diss. Vratislav. 1907.

[5]) Hos versus Isidori esse probavit Manitius, Gesch. d. Lat. Lit. d. M. p. 69 sq.

[6]) Notum est Eugenium carmina Draconti de laudibus dei (Eug. Hexaemeron) et Satisfactionem nonnullis modo versibus subtractis modo adiectis emendavisse.

[7]) Haec carmina quae in codice Σ servata sunt, olim partem corporis Venantiani effecisse certum est. Cf. Leo, Mon. Germ. Hist. Auct. Ant. IV 1 Berol. 1881 praef. XXIV.

[8]) Hymnos, crucis signaculum, in laudem sanctae Mariae, S. Martialis elogium non respexi, quia haec carmina natura sua et sermone plane abhorrent a Venanti indole, ut ab eo non esse facta existimem. Cf. Leo l. c. praef. XXIV. Contra Manitius, Gesch. d. Christl. Lat. P. p. 468, hymnos et in laudem sanctae Mariae carmen Venanti esse putat. Item G. M. Dreves, Hymnolog. Studien zu Ven. Fortunatus . . . München 1908 p. 1—54, spuri-

Atque de huius aetatis poetis disserere difficillimum esse haud ignoro. Etenim linguam Romanam temporibus, quibus hi poetae scripserunt, de firma syllabarum suarum quantitate valde delabi coepisse constat. Ac poetae, etsi quam maxime obsistebant, propter rhythmos rimosque qui Germanice dicuntur his vitiis, si ita dicere licet, saepe succubuerunt. Huc accedit, quod Graeca lingua illis temporibus itacismi maculis si non plane corrupta erat, at certe permultum de prisca sua elegantia perdiderat. Quibus de causis neminem offendet, quod poetae, de quibus agimus, non solum in vocibus Latinis sed etiam in Graecis Hebraicisque permagna grassabantur licentia.

Quamquam non ignoro multa superesse digna, quae copiosius perquirantur, meque in nonaginta fere milibus versuum, qui erant perlegendi, ab erroribus non semper liberum me tenuisse, tamen me aliquid ad quaestionem solvendam, quomodo poetae huius aetatis Graecis utantur nominibus, id quod adhuc parum quaesitum atque etiam in lexicis neglectum est, contulisse spero.

---

orum editionis Leonis carmina 1. 7. 8. a Venantio facta esse demonstrare conatus est, Strecker autem, Zeitschr. f. deutsch. Altertum, Anzeiger 33, 44—51, hanc sententiam improbavit. Cf. etiam H. Elss, Untersuchungen über den Stil und die Sprache des Venantius Fortunatus, Diss. Heidelberg. 1907, qui vir doctus Leonis sententiàm secutus est.

Conspectus editionum.

Palladi liber XIV: Chr. Wernsdorf, P. L. M. VI, Helmstadii 1794, p. 135 sqq. — I. C. Schmitt, Münnerstadt 1877.

carm. de Sodoma: R. Peiper, C. S. E. L. XXIII, Vindob. 1891, p. 212—20. — F. Oehler, Tertulliani quae supersunt omnia II, Lips. 1854, p. 771 sqq. — G. Hartel, C. S. E. L. III 3, Vindob. 1871, p. 289 sqq.

carm. de Iona: Peiper l. c. p. 221—26. — Oehler l. c. p. 769 sqq. — Hartel l. c. p. 297 sqq.

Prudentius: A. Dressel, Lips. 1860. — Psychomachia: Bergmann, Upsaliae 1897.

Hilarius Pictaviensis: Peiper l. c. p. 270 sqq.

Victorinus: de martyrio Macchabaeorum: Peiper l. c. p. 255 sqq. — de Iesu Christo deo et homine: G. Fabricius, Veterum poetarum ecclesiasticorum opera Christiana, Basileae 1546, p. 761 sq. — de pascha: Hartel, C. S. E. L. III 3, Vindob. 1871, p. 305 sqq.

cento Probae ceterique centones: C. Schenkl, C. S. E. L. XVI, Vindob. 1888, p. 511—639.

carm. ad senatorem: Peiper l. c. p. 227 sqq. — Hartel, C. S. E. L. III 3 p. 302 sqq.

carm. contra paganos: Aem. Baehrens, P. L. M. III p. 286 sqq.

carm. adv. Marcionitas: Oehler l. c. p. 782 sqq.

Paulini epigramma: Schenkl l. c. p. 499 sqq.

Cyprianus: Peiper, C. S. E. L. XXIII, Vindob. 1881.

Damasus: M. Ihm, Anthologiae Latinae supplementa I, Lips. 1895. — C. Weyman, 4 Epigramme des hl. Papstes Damasus I., München 1905.

carm. de providentia divina: Migne, Patrologiae cursus completus, Series Latina LI, Paris 1884 sqq., p. 617 sqq.

Victor: Schenkl l. c. p. 335 sqq.

Hilarius Arelatensis: Peiper l. c. p. 231 sqq.

Orientius: R. Ellis, C. S. E. L. XVI, Vindob. 1888, p. 191 sqq.

Prosper: Migne l. c. LI p. 91 sqq., 498 sqq., 611 sqq.

Paulinus Pellaeus: G. Brandes, C. S. E. L. XVI, Vindob. 1888, p. 263 sqq.

Sidonius Apollinaris: C. Luetiohann, Mon. Germ. Hist. Auct. Ant. VIII, Berol. 1887. — Mohr, Lips. 1895.

Domnulus: Migne l. c. LXII p. 545 sqq. — G. Brandes, Gymnasialprogr. Braunschweig 1890.

Phocae vita Vergili: Baehrens, P. L. M. V 85—90. — I. Brummer, Vitae Vergilianae, Lips. 1912, p. 49 sqq.

Paulinus Petricordiae: M Petschening, C. S. E. L. XVI, Vindob. 1888, p. 16 sqq.

Avitus: Peiper, Mon. Germ. Hist. Auct. Ant. VI 2, Berol. 1883.

Endelechius: F. Piper, Goettingen 1835. — Buecheler-Riese, Anth. Lat. I 2, 893, Lips 1906.

Paulinus Nolanus: G. de Hartel, C. S. E. L. XIX et XXX, Vindob. 1894.

Sedulius: I. Huemer, C. S. E. L. X, Vindob. 1885.

Licentius: Baehrens, P. R. F., Lips. 1886, p. 413 sqq.

Symphosius: Baehrens, P. L. M. IV p. 440. — Buecheler-Riese, Anth. Lat.[2] I 1, 286.

Avianus: Baehrens, P. L. M. V p. 31—70. — R. Ellis, The Fables of Avianus, Oxford 1887.

carm. de figuris: Baehrens, P. L. M. III p. 272 sqq. — Buecheler-Riese, Anth. Lat.[2] I 2, 485 p. 9 sqq.

carm. de ponderibus: Baehrens, P. L. M. V p. 71—82.

Martianus Capella: F. Eyssenhardt, Lips. 1866.

Namatianus: A. W. Zumpt, Berol. 1840. — Luc. Mueller, Lips. 1870. — Baehrens, P. L. M. V p. 1 sqq.

Merobaudes: Fr. Vollmer, Mon. Germ. Hist. Auct. Ant. XIV, Berol. 1905, p. 1—20.

Dracontius: Fr. Vollmer l. c. p. 21 sqq. — Baehrens, P. L. M. V p. 186—261 (carm. profana et Orestis tragoedia). — R. Peiper, Vratisl. 1875 (Orestis tragoedia).

carm. de aegritudine Perdicae: Baehrens, P. L. M. V p. 112 sqq.

Luxorius ceterique Anthol. Lat. poetae: Baehrens, P. L. M. IV p. 441 sqq. — Buecheler-Riese, Anth. Lat.[2] I 1 carmina 18, 20—21, 28—29, 80, 203, 210—14, 223, 226, 228, 254, 270—72, 274, 277—80, 287—375, 376, 378, 380, 383—88.

carm. ad Flavium Felicem: G. Hartel, C. S. E. L. III 3, Vindob. 1871, p. 308.

Priscianus: Baehrens, P. L. M. V p. 262 sqq.

Maximianus: Baehrens, P. L. M. V p. 316 sqq. — M. Petschening, Berol. 1890.

Boethius: Th. Obbarius, Ienae 1843. — R. Peiper, Lips. 1871.

Ennodius: Fr. Vogel, Mon. Germ. Hist. Auct. Ant. VII, Berol. 1885. — G. Hartel, C. S. E. L. VI, Vindob. 1882.

Arator: H. I. Arntzen, Zutphaniae 1769. — A. Huebner, Nissae 1850.

Benedictus Crispus: A. Mai, Classicorum auctorum e Vaticanis codicibus editorum V, Romae 1833, p. 391 sqq.

Corippus: I. Partsch, Mon. Germ. Hist. Auct. Ant. III 2, Berol. 1878. — M. Petschenig, Berliner Studien f. klass. Philol. IV 2, Berlin 1886.

Isidorus: Migne l. c. LXXXIII p. 1107 sqq.

Eugenius Toletanus: Fr. Vollmer l. c. p. 27 sqq.

Venantius Fortunatus: Fr. Leo, Mon. Germ. Hist. Auct. Ant. IV 1, Berol. 1881.

Caput I.

De nominum Graecorum usu.

§ 1. De nominativi formis.

1. Nominativus per *-ος* vel *-ον* terminatus[1]) apud poetas Romanos et Graece et Latine flectitur, h. e. et *-ος -ον* et *-us*[2]) *-um* terminationem praebet. Ac primum quidem *-ος* vel *-us* terminationem tractemus.

[1]) Neue, Formenlehre der lat. Sprache, 3. Aufl. von E. Wagener, Leipzig 1902, I p. 48 sqq. — E. Bednara, De sermone dactylicorum Latinorum quaestiones, Archiv f. Lat. Lexikographie, XIV, p. 356 (in dissertatione seorsum expressa p. 44). — Sniehotta l. c. p. 3 sqq. — Leimeister l. c. p 20. — Zwiener l. c. p. 3 sqq. p. 129 sqq. — Neumann l. c. p. 10 sqq.

[2]) Nonnulla nomina appellativa, quae iam apud priores poetas (cf. Zwiener l. c. p. 3. — Neumann l. c. p. 8) plane in sermonem Latinum transierunt, ut nisi Latinis terminationibus affecta non inveniantur, in dissertatione non respexi. In his haec numeravi: *abacus abyssus amaracus arcturus atomus barbarus beryllus byssus calamus calathus camelus caminus cantharus carbasus carbunculus cedrus cerasus chelydrus chirurgus chorus chrysolithus circus comoedus contus conus cophinus corymbus cothurnus crocodilus crocus crystallus cupressus cyathus cygnus cylindrus cypressus cytisus discus echinus ephebus epodus eremus eurus grammaticus gyrus hyacinthus hydrus hymenaeus iambus lembus lychnus magus moechus myrtus mythus narcissus nardus notus oceanus panegyricus papyrus pardus peplus phaselus philosophus platanus polus polypus pontus sapphirus sarcophagus satyrus scopulus scorpius scyphus smaragdus spondeus stilus* (*stylus*) *stomachus syllogismus taurus thalamus the(n)saurus tholus thronus thymus thynnus thyrsus trochaeus typus tyrannus zelus zephyrus.*

Adiectivorum, quae semper Latine flectuntur, non respexi haec: *aerius aetherius barbaricus bosphoreus dialecticus cous ethicus dactylicus inclytus heroicus historicus lyricus labyrinthicus magicus methodicus musicus mysticus myrrheus (murreus) phalaecius physicus tragicus typicus tyrannicus.*

Vocum quae a Christianis receptae plane Latine flectuntur non respexi has (Neumann l. c. p. 9): *angelus apostolus catechumenus diabolus* (*zabolus*) *diaconus episcopus blasphemus hymnus monachus paraclitus paradisus psalmus synodus — angelicus apostolicus catholicus clericus evangelicus daemonicus haereticus mysticus propheticus scholasticus.*

Palladius Latine declinavit *Persicus* — *mespilus* (sed *mespila* 69 acc. plur.) *terebinthus*.

Auctor carminis de Sodoma Latine scripsit *Eridanus*.

Apud Prudentium Graece terminatur *Paros* c. S. II 246.

Cetera Latinam exhibent terminationem eaque haec: *Bromius Christus Cyllenius*[1] *Cynicus Cynthius Canopus Chananaeus Cyprianus Eous Eulogius Gaetulus Hebrus Hiberus Hippolytus Homerus Indus Iudaeus Manichaeus Mattheus*[2]) *Oceanus Parthus Paulus Petrus Priapus Saulus Scotus Stephanus Thuscius Xystus* — *astrologus bruchus* — *Ariadnaeus*[3]) *Geticus Hebraeus Berecynthiacus Cybeleius Lemnius Megalesius Rhodopeius Thebanus Trinacrius Troicus* — *allophylus clinicus cyaneus hydrius*.

Hilarius Pictaviensis Latine scripsit *Christus*.

Aeque Victorinus, cuius in carminibus legimus *Antiochus Christus*.

Neque aliter Damasus Latine declinavit haec nomina: *Christus Damasus Euagrius Eusebius Eutychius Hippolytus Pammachius Paulus Petrus Philippus Simmachus Theodorus* — *Iudaicus*.

In incertae auctoritatis carmine ad senatorem exstat forma *Iudaeus*.

In carmine contra paganos *Symmachus* — *taurobolus*.

In carmine adversus Marcionitas *Aggaeus Anacletus Anicetus Christus Cletus Euaristus Heliseus Marcus Matthaeus Paulus Petrus* — *psalmographus*.

Cyprianus Graece in titulo scripsit *Heptateuchos*.

Latine autem flexa haec exstant nomina: *Aegyptus Amorraeus* (*Amorreus Amorrus*) *Aradius Cetaeus* (*Cethaeus*) *Channanaeus Correus Euaeus* (*Eueus*) *Eleazarus Gergessus Hebraeus Iacobus Iebusaeus Iudaeus Libanus Nazaraeus Pherezeus Syrus Iudaicus Memphiticus Niliacus Niloticus*[4]).

[1]) Hoc loco etiam ea substantiva enumeravi, quae primitus adiectiva erant.

[2]) *E* et *u* vocales per synizesin enuntiantur (apoth. 981).

[3]) Adiectiva, quia semper Latine declinantur, a ceteris nominibus seiunxi.

[4]) Praeterea exstant permulta nomina Hebraica, quorum declinatio ac prosodia minime sibi constat; ut exemplo utar: *Lod* G. 407 *Lodus* G. 450

Latine tantum declinavit auctor carminis de providentia divina haec nomina: *Christus Iudaeus.*

Item Victor scripsit *Achaemenius Aponus Christus Damascus Eous Hiberus Medus Nilus — clibanus — Assyrius.*

Orientius duplici ratione declinavit; Graece *agios* de trin. 156.

Latine *Christus Stephanus.*

Prosper Aquitanus graecissavit hoc loco: *Ephesos* de ingr. I 68.

Latine autem declinantur *Christus Hieronymus — Atticus phreneticus.*

Item Paulinus Pellaeus Graece scripsit in titulo *Eucharisticos*;

Latine *Attalus.*

Multa nomina huius generis in Apollinaris Sidoni epistulis et carminibus leguntur. Quorum Graecum exhibet exitum *Atropos* c. XV 200;

Latinum haec: *Achelous Alpheus Amphiaraus Amycus Anthemius Assyrius Bellonothus Bromius Byzantinus Cacus Caramallus Caucasus Cerberus Chalcidicus Chaldaeus Christus Chrysippus Cleobulus Colchus Corinthus Dacus Democritus Enceladus Epirus Euripus Eurus Frygius Glaucus Hebrus Herodotus Hiberus Hippolytus Homerus Indus Ismarus Lyaeus Lycaeus Lycus Lydus Massylus Meliboeus Metabus Miletius Moschus Naxus Nessus Neurus Nymphidius Oceanus Olympus Paphnutius Parius Parthus Pegasus Petrus Phoebus Pindus Polycletus Pontus Porus Pyrrhus Sabaeus Samius Scythicus Silenus Thessalus Theudosius Tirynthius Tityrus Tyrus Zephyrus Zetus — gorytus* (= *corytus*) *phonascus zodiacus — Achaemenius Assyrius Atticus Centauricus Chaldaeus Cinyphius Doricus Epidaurius Indicus Mithridaticus Parthicus Perseius Phoebeius Ponticus Scythicus Semeleius Socraticus Stheneboeius Tanaiticus Tartesiacus Tegeaticus Tirynthius.*

Rusticius Helpidius Domnulus Latine declinavit *Lazarus.*

Lothus G. 405 quibusque Cyprianus Latinam terminationem *us* dedit. Haec in dissertatione non respexi.

Paulinus Petricordiensis Latinam exhibuit terminationem horum nominum: *Christus Euanthius Petrus.*

Neque aliter Avitus scripsit *Aegyptus Canopus Christus Iacobus Maeonius Magdalus Lazarus Nilus Pegasus Petrus* — *archangelus* — *Pharius.*

Item Eudelechius *Christus Tityrus.*

Utramque flexionem adhibuit Paulinus Nolanus; Graecam *Nechepsos*[1]) c. III 8 [-*us* Vin.[2])].

Latine autem declinavit *Aegyptus Ambrosius Christianus Christus Didymus Eous Constantinus Lyaeus Marcus Nazarenus Oceanus Paulus Petrus Phosphorus Tantalus* — *elegus nauarchus sphondylus.*

Sedulius huiusmodi nominibus nisi Latinam terminationem non concessit. Etenim dixit *Christus Eous Lazarus Marcus Matthaeus Petrus.*

Licentius Latine declinavit haec: *Barcaeus Gerrhus.*

Avianus in fabulis haec *Phoebus Satyrus* — *Tirynthius.*

Auctor carminis de figuris Graeca terminatione usus est hoc loco: *peri . . . odos* 10[3]); praeterea in titulis collocantur haec nomina Graecis litteris scripta: *Διέξοδος* 60 *Μερισμός* 84 *Ὁρισμός* 96 *Περίοδος* 9 *Πλεονασμός* 177 *Συναθροισμός* 138 *Χαρακτηρισμός* 147.

Latinam deinde flexionem concessit his: *Academicus Homerus.*

In carmine incerti auctoris, quod inscribitur de ponderibus, Latinum exitum haec adhibent nomina: *Nilus* — *cybus obolus.*

Iam ad Martianum Capellam pergo. Is Graeci nominativi -*ος* exitum exhibuit in his duobus nominibus: *Canopos* p. 299, 24 *Ismaros* 339, 9.

---

[1]) Utrum poeta Graecam formam *Νεχεψώς* an *Νεχεψός* (cf. Pape-Benseler, Wörterbuch der griech. Eigennamen, Braunschweig 1884, III[3] p. 993 sq.) in animo habuerit, discerni non potest, quia vocabulum in fine hexametri stat.

[2]) His uncis rectis [] variam codicum lectionem adscripsi.

[3]) Hoc nomen in tmesi collocatur in hoc versu:

peri quam dicunt odos.

Latina terminatione usus est in his: *Bacchus Bromius Chrysippus Delius Hesperus Nilus Phoebus Phosphorus Satyrus* — *trigonus* — *Byblius.*

Namatianus in carmine de reditu suo hos exhibet nominativos Graecanicos: *Isthmos* I 319 *Pharos* I 404;

Latinos hos: *Corus Eous Eurus Homerus Iudaeus Nilus Oceanus Phoebus Sirius* — *Ephyreius.*

Merobaudes uni nomini quod praebet Latinam dedit flexionem. Etenim scripsit *Caucasus.*

In Draconti carminibus Graece in *-ος* finiuntur haec nomina [1]): *Atropos* R. VIII 203 *Cypros* R. VIII 437 *Delos* R. X 594 *Ilios* R. VIII 296.

Latine per *-us* declinantur haec: *Admetus Aeacus Antilochus Aristarchus Bromius Cadmus Christus Codrus Cyprus Cythereus Dardanus Egistus Elissaeus Eolus Eous Helenus Hippolytus Hyacinthus Hymenaeus Idalius Iliacus Indus Lazarus Lycurgus Medus Menelaus* [2]) *Mermerus Molossus Narcissus Neoptolemus Nilus Patroclus Particus Paulus Priamus Psyllus Pyrrhus Silenus Sirius Sthenelus Stephanus Troilus* — *Aegyptius Apollineus Colchus Gnossius Idaeus Iliacus Inachius Laertius Phrygius Telamonius Thebanus Thessalus Thymbraeus Tirynthius Troius.*

In carmine de aegritudine Perdicae Latinos tantum legimus nominativos hos: *Narcissus Satyrus* — *Phrygius.*

Item apud Luxorium ceterosque Anthologiae Latinae poetas nisi Latini nominativi non exstant. Ibi legimus *Aeolus Amphiaraus* (21, 202) *Avernus Cleobulus Eutychus Hymenaeus Icarus Molorchus Nilus Pactolus Pittacus Priamus Priapus* — *archisophus* — *Iliacus Milesius Phrygius Stoicus.*

Auctor carminis ad Flavium Felicem modo Graece: *agios* 185 [3]) [*-us* TW], modo Latine: *prasinus* declinavit.

---

[1]) Forma *Vincomalos* sat. 302 (= vinco malos) non afferenda est, quamquam *Βιγκόμαλος* exstat. Cf. Vollmer in editione p. 312 sq.

[2]) Cuius nominis syllaba finalis producitur in hoc versu Or. tr. 196.

[3]) Quod nomen in hoc exstat versu:

solus agios sanctusque Deus vox omnibus una est.

Permulta nomina Graecanico modo terminata inveniuntur in Prisciani carminibus.

Is Graece declinavit haec nomina geographica et voces lapidum plantarumque his periegesis locis: *Arados* 539 *Cephisos* 456 *Coros* 974 *Cyrnos* 84 *Ilisos* [*illisus* plerique B] 427 *Imbros* 131. 546 *Isthmos* 102. 134. 403 *Lemnos* 545 *Mallos* 818 *Pharos* 243 *Rhodos* 531 *Tenedos* 131 *Thasos* 546 *Tylos* 1059 — *alimos* 529 *amethystos* 1022 *isthmos* 421. 678.

Cetera omnia nomina Graecam terminationem mutaverunt cum Latina *-us*, eaque haec: *Aesarus Alpheus Bactrus Bosphorus Bostrenus Carpathus Casius* (sc. mons = *Κάσιον ὄρος*) *Caucasus Caunus Chius* (*Cius*) *Cydnus Ephesus Eurus Euxinus Haemus Heeliotropius Hiberus Hyrcanus Indus Isauricus Lesbus Libanus Lyrnesus Magarsus Mardus Nilus Oceanus Oxus Pachynus Pactolus Parthus Pelorus Peparethus Phaestus Pinarus Proconesus Pyramus Samus Scyrus Tartessus Taxilus Telmessus Tenedus Thynus Xanthus* — *psittacus* — *Acheloius Aegaeus Atlanticus Caspius Hibericus Ionius Issicus Pamphylius Persicus Ponticus Thracius Threicius.*

Maximianus huiusmodi nominibus Latinam terminationem dedit: *Bacchus Tantalus* — *pedagogus.*

Boethius ita se gessit, ut Graece cadere vellet nomen *Hesperos* II 8, 7 [*-us* K?], Latine haec: *Achelous Cacus Eurus Hermus Homerus Indus Ithacus Phoebus Polyphemus Tantalus Zephyrus* — *threicius.*

Ennodius ubique Latinam terminationem exhibuit in his nominibus: *Aeolus Ambrosius Aponus Bacchus Caucasus Christus Creticus Cyllarus Dedalus Eridanus Eusebius Glycerius Homerus Lazarus Lyeus Paulus Polyphemus* — *Armenius Castalius Dirceus Pierius Pindareus Thracius.*

Item Arator, qui haec praebet nomina: *Aegyptus Ambrosius Christus Demetrius Dionysius Epicureus Eutychus Exodus Hebraeus Oceanus Paulus Petrus Saulus Stephanus Stoicus* — *paralyticus* — *Ponticus.*

Benedictus Crispus in medicinae libello haec praebet apellativa Latine cadentia: *cariophylus hermodactylus hyosciamus raphanus.*

Corippus nominibus, de quibus agimus, ita usus est, ut Graecum exitum servaret horum nominum: *Cypros* Iust. III 91 *Tyros* Iust. III 90 *pyropos* Iust. IV 120.

Latine cadere voluit haec: *Adrastus Anastasius Antaeus Athanasius Bacchus Cacus Calinicus Christus Demetrius Eurus Hesperus Nisus Notus Pappus Patroclus Petrus Phoebus Rhesus Stephanus Theodorus Troilus* — *buxus cymbius terebinthus* — *Armenius Ithacus Smyrnaeus Syrticus Parius Tirynthius*.

Isidorus in carmine, cui est titulus versus in bibliotheca, haec nomina Latine terminata praebet: *Chrysostomus Indus*.

Eugenius Toletanus Graece dixit *asbestos* c. LXI 1 [*-on* LM].

Latine flexit haec: *Aetherius Apodemius Aristarchus Christus Euodius Homerus Iacubus Marcus Matthaeus Nicolaus Nisus Phoebus Sirius Stephanus* — *cataclysmus psittacus*.

Item denique Venantius Fortunatus modo Graece, modo Latine declinavit; Graece his locis: *Arctos* c. VII 12, 57. X 7, 9. v. M. III 492 (sed *arctus* [*-os* F] c. IX 1, 15) *Cypros* v. M. II 81 *topazos* v. M. I 136 [*-us* L[2]] III 516 [*-yos* N *-us* rell.] IV 323 [*-us* LS][1]).

Latine haec nomina flexit: *Aegyptus Ambrosius Amelius Apollonius Aratus Arcadius Arctus Athanasius Attalus Basilius Christus Chrysippus Daedalus Dionysius Ephesus Eufronius Eurus Eusebius Hiberus Homerus Hieronymus Hippolytus Indus Iudaeus Lazarus Leontius Mattheus Nicetius Nilus Oceanus Olympus Palladius Paulus Petrus Phoebus Pindarus Stephanus Theudosius* — *amomus architectus basiliscus coccus corylus diptychus lychnus orfanus pharus psalmographus topazus* — *Achaeus* — *hyacintheus*.

Praeter Latinam terminationem *-us* interdum *-er* quoque exitus invenitur in his nominibus: *Alexander Hister* (*Ister*) *Maeander Menander Periander Teucer* — *pentameter presbyter*.

---

[1]) Certo Venantius Latinam formam *topazus* scripsit omnibus codicibus consentientibus hoc loco: v. M. III 463. Sed aliis quoque locis, num poeta Graecam terminationem adhibuerit, dubitaverim. Etenim eum Graecam linguam non novisse infra demonstrabo.

Nonnulla nomina Latine terminata aliam atque in Graeca lingua praebent terminationem: *architectus* Arat. II 218. Ven. Fort. c. III 7, 11 (Graece *ἀρχιτέκτων*)[1]) *amomus* Ven. Fort. c. IV 26, 125 (Graece *τὸ ἄμωμον*, etiam apud ceteros auctores Romanos *amomum*)[2]).

Contra Venantius scripsit *coccus* c. II 9, 33 secutus Graecam formam *ὁ κόκκος*, quam ceteri auctores Romani mutaverunt in *coccum*, *i.*[3]).

Tum apud hos iam vergentis Latinitatis poetas nonnulla nomina tertiae declinationis per metaplasmum qui dicitur ori Latino assimilata sunt: *Aronus* Cypr. Ex. 232. 676 Num. 518 *Aethiopus* [*īops* TF -*ўops* CP][4]) Apol. Sid. c. XI 18 *Phisonus* Cypr. Gen. 57 *Serus* Drac. l. d. I 323 — *onychus* Cypr. Ex. 1103.

Praeter Graecas formas per -*ος* terminatas nonnullae quoque exstant contractae Graece in -*ους* desinentes: *chus* c. de pond. 70 *ὁ χοῦς* Mart. Cap. 25, 25. [*honos* B²R] 37, 20. 194, 8.

Apud omnes fere poetas Christianos exstat nomen *Iesus* (*Ἰησοῦς, οῦ*), quod longam -*us* terminationem praebet uno loco Cypr. Num. 264.

Iam in praefatione (p. 5) dixi poetas huius aetatis de qua quaerimus in quantitate nominum Graecorum permagna grassatos esse licentia, id quod iam apud priores poetas hic illic invenis[5]). Itaque legimus correpta paenultima Graecum nomen *Canŏpos*[6]) Mart. Cap. 299, 24.

Nominum Latine finitorum haec praebent falsam proso-

---

[1]) Sic iam apud Plautum. Cf. N. Z. Tuchhaendler, De vocabulis Graecis in linguam Latinam translatis, Berol. 1876, p. 35. — O. Weise, Die griech. Wörter im Latein, Leipzig 1882, p. 349. — G. A. Saalfeld, Tensaurus Italograecus, Wien 1884, p. 106.

[2]) Saalfeld l. c. p. 50.

[3]) Saalfeld l. c. p. 316.

[4]) Forma *Aethīops* falsam praeberet mensuram; contra forma *Aethiopus* metro satisfacit. Hoc exemplo demonstratur poetas interdum metro coactos esse hanc sermonis vulgaris consuetudinem sequi.

[5]) De tota hac quaestione diligenter egit C. Hosius, De nominum propriorum apud poetas Latinos usu et prosodia, Neue Jahrb. f. Philol. 151 (1895) p. 93 sqq.

[6]) Cf. F. O. Stange, De re metrica Martiani Capellae, Diss. Lips. 1882 p. 10.

diam: *Admĕtus* Drac. R. VIII 210 *Aĕgyptus* Cypr. Ex. 713. 1172 D. 36 (sed recte *Aēgyptus* Ex. 17. 185) *Anicĕtus* adv. Marc. III 296 *Apollŏnius* Ven. Fort. c. VI 8, 6 *Āponus* Victor. al. III 736 *Arătus* Ven. Fort. c. VII 12, 25 *Athānasius* Coripp. Ioh. IV 232 VII 199 Ven. Fort. c. V 3, 37 VIII 1, 55 *Chrўsippus* Ven. Fort. c. VII 12, 25 *Ĕgistus* Drac. Or. tr. 161. 310. 376. 411. 700. 705. 897 (semper in sexto pede hexametri praeter 411) *Euōdius* Eug. Tol. c. IX 15 *Ĕolus* Drac. R. VII 144 *Iacŏbus* Avit. VI 404 Cypr. G. 1307. 1465 (item falso *Iācobus* G. 959. 1041 Ex. 369, ceteris locis recte) *Matthĕus* Ven. Fort. c. V 2, 9 *Bāsilĭus* Ven. Fort. c. V 3, 40 VIII 1, 54 *Nicolăus* Eug. Tol. c. XXVII 5 *Pēlagius* Coripp. Ioh. III 410 *Phrўgius* Drac. l. d. I 322 *Pўramus* Prisc. per. 815[1]) *Stēphanus* Coripp. Ioh. VII 375 *Trŏilus* Drac. R. VIII 84 (quinquies recte) — *abўssus* Cypr. G. 288 *allophўlus* Prud. ham. 500 *gorўtus* Apol. Sid. c. XI 56 *herĕmus* Cypr. passim. *phŏnascus* Apol. Sid. ep. IV 11, 13 *prăsinus* Cypr. G. 59 *sapphĭrus* Cypr. Ex. 1099 (item *sapphĭra* Ex. 1053) Ven. Fort. c. VI 1, 110.

Quibus subiungere dubito formas velut *Călinicus* Coripp. Iust. I 76. 122 *Procŏnesus* Prisc. per. 339, quia in his, quamquam ipsa vocalis non mutatur, tamen geminatae consonae dimidia parte detracta syllabae mensura pervertitur.

Iam pergamus ad nomina Graece per -*ον* terminata. Cuius generis hos legimus nominativos: *Byzantion* Ven. Fort. app. I 97 *Deuteron* Cypr. I. N. 280 *Orithyion* Apol. Sid. c. XI 2 *Pelion* Apol. Sid. c. IX 90 Avit. poem. IV 299 — *arsenicon* Bened. Crisp. VI 3 *barbiton* Mart. Cap. 342, 7[2]) *oxybaphon* de pond. 76 *prasion* Ben. Crisp. XVIII 9 *tetracolon* de fig. 11.

Praeterea in titulis exstant: *Dittochaeon* Prud. *Epitaphion* Anth. Lat. 80. 345 *Eucharisticon* Apol. Sid. c. XVI *Hexaemeron* Eug. Tol. *Propempticon* Apol. Sid. c. XXIV — *asyndeton* Eug. Tol. c. 53 *dialogon* Eug. Tol. c. 32 *distichon* Eug. Tol. c. 30. 55. 90. 95 *epitaphion* Eug. Tol. c. 16. 21. 22. 24. 25. 26. 27 *heptametron* Eug. Tol. c. 37 *monostichon* Eug. Tol. c. 94 *tetrastichon* (sc. *dialogon*) Eug. Tol. c. 32.

[1]) Quam mensuram accepit e Dionysi periegesi 867 aliter atque Avienus (descr. orb. terr), qui *y* longum exhibet.

[2]) Huius nominis nominativus plerumque *barbitos* est, sed etiam *τὸ βάρβιτον* apud Graecos exstat. Cf. Saalfeld l. c. p. 163.

Huc accedunt hi tituli carminis de figuris Graecis litteris scripti: Ἀντίθετον 21 Διαλελυμένον 54 Διηρημένον 57 Ἐπιφωνούμενον 72 Ἰσόκωλον 81 Κῶλον 6 Ὁμοιόπτωτον 102 Ὁμοιοτέλευτον 99 Παρόμοιον 126 Πολύπτωτον 105 Πολυσύνδετον 51 Τρίκωλον 144 Ὑπερβατόν 159.

Cetera nomina Latine flectuntur[1]). Quorum inveni haec[2]): *Corycium Palladium Tarentum* — *mystrum spelaeum strophium* — *Atticum Cretaeum Hyrcanum Parthum Sabaeum Trinacrium Tyrrhenum.*

2. Nomina masculini generis primae declinationis in Graeca lingua per -ας vel -ης genetivo in -ου excurrente[3]) terminata, quae apud poetas vetustiores plane Latine flecti Sniehotta et Bednara demonstraverunt, apud poetas, de quibus hic agitur, plurimis locis Graecam servant terminationem[4]).

Ac primum quidem agamus de nominibus in -ης desinentibus. Quamquam maximam partem eorum in casibus obliquis secundum tertiam declinationem Latinam flecti[5]) non nescio, tamen hoc loco omnia ea enumeravi nomina, quae in Graeca lingua genetivum per -ου vel in sermone epico per -εω terminant. Addo partem codicum eosque imprimis recentiores omnibus fere locis pro *-es* terminationem *-is* praebere. Iam ad singula pergamus.

[1]) Nonnulla huiusmodi nomina quasi vernacula facta erant, ut nisi Latine finita non exhiberentur. Quorum seiunxi haec: (cf. Zwiener l. c. p. 3; Neumann l. c. p. 9): *amomum amphitheatrum astrum asylum balsamum barathrum chelidonium cymbalum electrum epithalamium idolium idolum metallum organum plectrum sceptrum talentum theatrum tropaeum tympanum.* A Christianis plane in sermonem Latinum recepta sunt haec: *adytum evangelium martyrium mysterium symbolum.*

[2]) Falsam prosodiam praebet *mystĕrium* Coripp. Iust. II 113 IV 274.

[3]) Neue l. c. I³ p. 48 sqq. — Sniehotta l. c. p. 6 sq., 52 sq. — Bednara l. c. p. 355 (43). — Leimeister l. c. p. 8 sqq. — Zwiener l. c. p. 16 sq., 145 sq. — Neumann l. c. p. 17 sqq.

[4]) In appellativis nominibus nonnulla sunt, quae, quia plane in sermonem Latinum transierunt, semper praebent Latinum exitum. Quorum haec, quae apud omnes fere poetas exstant, singillatim non attuli (cf. Neumann l. c. p. 9): *charta* (quod nomen genus quoque mutavit) *poeta.*

[5]) Cf. I. Wackernagel, Archiv f. lat. Lexikogr. XIV (1906) p. 5 sqq. — Lindsay, Archiv f. lat. Lexikogr. XV 1 (1906) p. 144 sqq.

In carmine de Iona propheta exstat nomen Graece terminatum *prophetes* 22.

Apud Prudentium Graecas invenimus formas patronymicorum has: *Alcides* c. S. I 226 *Asclepiădes* per. X 42. 108. 392. 548. 687. 921 (*a* vocali producta), has aliorum nominum: *Apelles* c. S. II 46 *Ganges* c. S. II 607 *Herodes* ditt. 114 — *mysteriarches* per. II 350 *tetrarches* cath. VI 69, nomina Hebraica haec: *Ioannes* per. V 376 *Moses* ditt. X (in titulo) *Moyses* ditt. 51 cath. V 31. 63 VII 37 XII 144. *E* longum terminationis -ης in ĭ correptum est his locis: *Ioannis* cath. VI 108 VII 46 ham. 911. Latine terminantur *Baptista Marcionita Sarmata Sodomita* — *cometa evangelista patriarcha propheta*.

Apud Victorinum exstat nomen Hebraicum Graecanico modo finitum *Moses* d. m. Macch. 249. Damasus Graece scripsit *Getes* Pseudodamas. ep. 99, 2 *Iohannes* ep. 58, 1, Latine *Propheta*. In carmine adversus Marcionitas exstant Graecae formae nominum Hebraicorum *Ioannes* II 61. 108 III 219 IV 139. 203 [1]) *Moses* II 169, III 48; Latine cadunt *ăthleta propheta*; in Paulini epigrammate Latine cadit *Sarmata*.

Cyprianus Graece flexit nomina Graeca *Euphrates* Ex. 1033 — *satrapes* Iud. 238, Hebraica *Levites* Ex. 46 *Moses* Ex. 105, 127 *Moyses* Num. 459. 498. 513. Praeterea omnibus codicibus comprobatur forma *Euphratis* Gen. 550. Latine flectuntur *Israhelita Levita* (sed *Levites* supra) — *prōpheta* (Ex. 1132 *o* vocali producta).

Item auctor carminis de providentia divina Graece scripsit *Moses* 394, Latine *Scytha*. Apud Victorem occurrunt *Euphrates* al. I 299 III 538 — *achates* al. III 130; praeterea legimus nominativum *Iordanis* al. III 396. 788; apud Orientium Latinam terminationem in nominibus *margarita* [2]) *propheta*; apud Prosperum Aquitanum formam Graecam *haeresiarches* de ingr. 226, Latinam *propheta*.

[1]) Huius nominis prosodia valde vacillat. Etenim legimus *Iŏán̄nēs* II 61. *Íōán̄nḗs* III 219 IV 203 *Íōánnḗs* II 108, IV 139 (synizesi adhibita), quae pronuntiatio apud auctorem huius carminis nihil miri habet. Alia exempla vide apud Oxéium l. c. p. 18. 50.

[2]) Cf. nominativum *margaritum* Eug. Tol. c. XLVIII 1 accusativum Prud. ps. 873. Cf. Saalfeld l. c. p. 662.

Plures formae Graecae apud Apollinarem Sidonium exstant. Inveniuntur enim patronymica *Aeacides* c. VII 273 *Aegides* c. V 193 *Alcides* c. VII 183 X 15 XIII 15 XIV 19 *Atrides* c. V 448 *Naupliades* c. XXIII 493, haec alia: *Araxes* c. II 441 VII 74 *Arsaces* ep. VIII 9, 45 [1]) *Astyages* c. II 117 [1]) *Euclides* c. II 176 XXIII 116 *Eurīpīdes* (falsa mensura) c. XXIII 127 *Ganges* c. II 443 VII 74 XXII 41 *Getes* c. II 362 VII 411 XXIII 243 *Procrustes* c. V 477 *Sauromates* c. XXIII 243 *Thāles* (*a* vocali contra consuetudinem producta; recte vocativus II 157) c. XV 44. 79 [2]) *Xerxes* c. V 452 — *achates* c. XI 22 *lyristes* ep. VIII 11, 25 *sardonyches* c. XI 21 [3]), nomen Hebraicum *Iohannes* c. XVI 99. Codicum auctoritate comprobatur nominativus *Eurīpīdis* c. IX 234. Cetera nomina Latine finiuntur *Bastarna Bisalta Ephialta Geta* (sed *Getes* supra) *Persa Sarmata Sauromata* (sed *Sauromates* supra) *Scytha* — *geŏmetra* (ep. IV 11, 9 *o* vocali contra normam correpta). Denique commemoranda est forma abbreviata *satraps* c. II 78 pro *satrapes*.

Domnulus in historiar. tristichis exhibuit *Moses* XV (in titulo) XV 1. Apud Avitum [4]) Graece declinantur nomina Graeca *Euphrates* p. IV 310 *Ganges* p. I 297, Hebraica *Iohannes* p. VI 405 *Moyses* p. V 41. 92. 218. Latine declinantur *Sisarra* — *patriarcha propheta*. Paulinus Petricordiensis scripsit *Moyses* v. M. III 81.

Carmina Paulini Nolani haec continent nomina: *Herodes* c. XXV 131 XXXI 586 *Iohannes* c. VI 144. 169 XX 245 XXII 53 XXVII 411 *Israelites* c. XVII 166 *Moyses* c. XXII 39. 154 XXVI 36. 374 XXVII 517 XXXI 363 *Nicetes* c. XVII 165 XXVII 164. 182. 231. 248 (ceteris locis *Niceta*; vide infra). In *-is* desinit nominativus *Iordanis* c. XXVII 48. 519 [*-es* AD]. Mutavit autem poeta Graecam terminationem cum Latina his

[1]) Haec nomina etiam genetivum minus usitatum tertiae declinationis in *-ους* desinentem praebent.

[2]) Hoc nomen etiam formam rarius adhibitam *Θάλης, -ητος* praebet. Cf. Pape-Benseler I 478.

[3]) Huius nominis forma communis est *sardonyx, -chis*. Cf. accusativum *sardonychen* Prud. ps. 860.

[4]) De huius poetae nominibus Graecis egit H. Goelzer, Le Latin de Saint Avit, Paris 1909, p. 497 sqq.

locis: *Nicetā* c. XVII 149 XXVII 266, quibus locis *a* vocalis brevis per vim ictus metrici producitur. Cetera huiusmodi nomina *a* correptum praebent: *Scytha* — *baptista citharista patriarcha propheta.* Sedulius in -ης desinere voluit nomina Graeca *Herodes* p. c. II 88. 115 — *prophetes* p. c. II 145, Hebraica *Iohannes* p. c. I 358 II 143 h. II 20 *Moyses* p. c. III 208, Latine in *a Baptista* — *apostata propheta*; per *-is* finitur nominativus *Iordanis* p. c. II 141. 163 IV 1.

Martianus Capella Graece flexit *Bootes* p. 27, 10. 299, 22 *Carneades* 98, 17, Latine *Ephialta.* Namatianus graecissavit in patronymico *Alcides* I 76.

Plura talia nomina eaque omnia fere Graecis terminationibus affecta Draconti continent opera. Invenimus enim haec patronymica: *Aeacides* R. VII 17 VIII 157. 291. 309 *Aesonides* R. X 351 *Alcides* l. d. III 211 R. II 99 Or. tr. 847 [*egides* A] *Anchisiades* R. VIII 372 *Atrides* R. VIII 585 Or. tr. 84. 196. 345. 520. 685. 726. 809. 877 *Dardanides* R. VIII 265 IX 221 *Laomedontiades* R. VIII 81 *Oenides* Or. tr. 637 *Tydides* R. VIII 324, haec alia: *Chryses* R. IX 102 *Orestes* Or. tr. 147. 151. 193. 516. 665. 673. 708. 732. 780. 876. 910. 945. 956 (quod nomen semper in sexto pede legitur praeter 708) *Polites* R. VIII 631. 637 *Pȳlādes* Or. tr. 291. 517. 666. 698. 710. 751. 865. 959 (*y* et *a* vocalibus contra normam productis et correpta ultima praeter 751) *Ulixes* R. VIII 325 Or. tr. 631 — *cometes* l. d. I 62. Latinorum rationi adaptavit exitum nominum *Persa Sarmata Scytha.*

Transeo ad Luxorium ceterosque huius temporis poetas Anthologiae Latinae. Qui terminationes Graecas adhibuerunt patronymici *Tantalides* 328, 5 et nominis *Hermes* 337, 1; item auctor carminis ad Flav. Felicem Graece flexit *prophetes* 362.

Priscianus praeter formam *Sarmata* omnibus nominibus Graecum dedit exitum. Legimus in periegesi: *Choaspes* 974 *Cophes* 1047 *Euphrates* 904 *Ganges* 619. 1041 *Hydaspes* 1046 *Orontes* 860 — *achates* 502. 976 *aetites* 985 *gagates* 581 *molochites* 882 *pyrites* 987 *selenites* 989.

Apud Maximianum invenimus nomen Graece finitum *Ulixes* el. V 20, apud Boethium *Atrides* IV 7, 2 — *Bootes* IV 5, 3 *Euphrates* V 1, 3, apud Aratorem nomina Hebraica

Graece declinata *Ioannes* II 78. 584. 598. 601 *Moses* II 1008, voces Latine desinentes *baptista propheta sophista*.

Corippus[1]) his nominibus ita usus est, ut Graecum nominativum adhiberet in his nominibus patronymicis: *Aegides* Ioh. IV 610 *Alcides* Ioh. IV 949 *Stēphanides* Ioh. VII 243 (*e* vocali producta), in his aliis: *Mermeroes* Ioh. I 75. 98 *Perses* Ioh. VII 28 *Ulixes* Iust. III 93 — *achates* Iust. IV 369. Praeterea exstat 44 locis idque semper in fine hexametri nomen *Iohannes*; Latine autem declinatur *Persa*.

Apud Isidorum scriptum est nomen Hebraicum *Ioannes* VII 1; item apud Eugenium Toletanum Graece terminantur nomina Hebraica *Iohannes* app. c. XLVIII 1 c. VIII 15. 43 *Moyses* c. XXXIX 1 XL 1, Latine per *-ă baptista*, per *-um margaritum* app. XLVIII 1.

Venantius Fortunatus saepius Latinam terminationem adhibuit quam Graecam. Graecissavit enim in nominibus Graecis *Eufrates* c. I 21, 8 v. M. II 77 *Orontes* v. M. II 78[2]), in Hebraicis *Iohannes* c. I 2, 25 IV 22, 7. 23, 15 IX 2, 38 *Moyses* c. IX 2, 25 V 5, 131 VIII 3, 14; per *-is* finivit nominativum *Iordanis* c. X 6, 36. 100. v. M. I 512, Latine autem per *a*: *Duca Dalmata Geta Israhelita Persa Scytha* — *anachorita ăthleta* (*a* vocali correpta v. M. I 114) *baptista citharista heremita metropolita patriarcha propheta*.

Quicunque deinde singula contemplatus erit nomina, inveniet patronymica in *-ades* et *-ides* desinentia semper Graece flecti. Idem valet de nominibus Hebraicis, quorum nonnulla iam apud poetas Christianos, de quibus egit Neumannus[3]), inveniuntur. Quae apud poetas, de quibus nos agimus, dimidiam fere partem (113) omnium huius generis nominum propriorum (252) efficiunt. Appellativorum deinde maior pars Latine declinatur. Iam oritur quaestio, quomodo poetae syllaba -ης terminationis usi sint. Quod contemplantem offendet auctores haec nomina aut in positione aut in fine versus adhibuisse, quasi -ης

[1]) Cf. Welzel, De Claudiani et Corippi sermone epico, Diss. Vratisl. 1909, p. 85.

[2]) In modum horum nominum formatus videtur nominativus *triādes* c. V 2, 1 *a* vocali contra usum producta pro *trias*.

[3]) l. c. p. 20.

terminationem productam aut correptam ponere ausi non essent. Etenim horum nominum, quae 255 locis exstant, 14 tantum locis *-es* terminatio per se longa est. In his 3 loci dubii sunt, quia *h* litteram quae sequitur temporibus, quibus hi fuerunt poetae, consonantis saepe loco adhiberi et positionem efficere videmus [1]. Contra non desunt loci, quibus poetae contra consuetudinem poetarum qui dicuntur classicorum *-es* terminationem corripiant [2]. Quod factum est his locis: *Chryses* Drac. R. IX 102 *Ganges* Prud. c. S. II 607 *Iohannes* Ven. Fort. c. IX 2, 38 Sedul. h. II 20 *Orestes* Drac. Or. tr. 708 *Pylades* Drac. Or. tr. 291. 517. 666. 698. 710. 865 *Ulixes* Maxim. el. V 20 — *lyristes* Apol. Sid. ep. VIII 11, 25; huc accedit *Ioannis* Prud. cath. VI 108 VII 46 ham. 911.

Haec habui quae dicerem de nominibus in *-ης* excurrentibus [3]. Iam pergamus ad nomina per *-ας* finita, quorum genetivus in *-ου*, in dialecto Dorica in *-ᾱ* desinit. Cuius generis haec exstant nomina Graeca Graecis terminationibus praedita: *Aeneas* Apol. Sid. c. XI 88 Drac. R. VIII 241. 586 Coripp. Ioh. I 181. 203 *Anaxagoras* Apol. Sid. c. II 177 XV 89 *Arcesilas* Apol. Sid. c. II 177 XV 94 *Boreas* Apol. Sid. c. VII 587 Paul. Nol. c. XVII 201 Licent. 133 Arian. f. IV 1 Namat. I 399 Prisc. per. 426 Coripp. Ioh. I 359 VII 448 Ven. Fort. c. V 7, 10 v. M. II 76 *Dorylas* Drac. Or. tr. 352. 640. 643 *Hylas* Drac. R. II 95. 109. 117. 123. 129. 145 (in titulo) *Lysias* Arat. act. ap. II 1018 *Phidias* Prud. p. X 292 *Pythagoras* Apol. Sid. c. II 171 XV 52 Ven. Fort. c. VII 12, 25 *Rhebas* Prisc. per. 762. 763 *Scopas* Apol. Sid. c. XXIII 504 *Teresias* Drac. Or. tr. 953 — *boreas* Prud. ap. 661 Prisc. per. 591. 656. 676 Boeth. I 3, 7

[1]) Cf. Lucianus Mueller, De re metrica, edit. II, Lips. 1894, p. 382. — Th. Birt, Der Hiat bei Plautus und die lat. Aspiration, Marburg 1901, p. 99. 175.

[2]) Hanc terminationem his temporibus brevem existimatam esse ex his elucet verbis Martiani Capellae III 65 (p. 70 Eyssenhardt): *Es terminatus in Graecis nominibus brevis est ut Anchises . . .*

[3]) Hoc loco adnoto nonnulla patronymica Graecanico modo ducta a nominibus Latinis. Ea haec fere sunt: *Anniades* Prud. c. S. I 553 *Caecilides* Coripp. Ioh. III 47 VII 375. 475. Haec omnia provenisse post saeculum III dicit Lucianus Mueller, De re metr.[2] p. 491.

Ven. Fort. c. III 26, 8. Latine declinantur haec: *Archyta Bagrada Marsya Mida Perdica.*

Pleraque autem huius generis nomina sunt Hebraica praecipue nomina prophetarum. Atque inveniuntur apud singulos poetas haec: in carm. de Iona *Ionas* 25. 98 (sed *Iona* 100), apud Prudentium *Esaias* ap. 595 *Ezechias* ditt. 93 *Ieremias* ham. 450 *Lucas* ap. 1001 — Latine terminata *Elia Iuda*, in carm. adv. Marcionitas *Esaias* III 173 IV 180 *Esdras* III 215 *Ezechias* III 136 *Helias* III 149 *Hermas* III 294 *Hieremias* III 179 *Ionas* III 196 *Iosias* III 142 *Lucas* II 61 *Micheas* III 196 *Sophonias* III 197 *Zacharias* III 198 — Latine terminatum *Abdia*, apud Cyprianum *Ioas* Iud. 298 *Iudas* G. 1166. 1360. 1439 Iud. 8. 43 (sed *Iuda* 966) *Ozas* G. 860 *Petaphras* (Πετεφρῆς, -ῆ)[1] G. 1295, apud Orientium *Ananias* com. I 520, apud Sidonium *Helias* c. XVI 99, apud Avitum *Esaias* p. VI 44 *Esdras* p. VI 396 *Helias* p. IV 179 *Iudas* p. VI 404 *Lucas* p. III 220, apud Paulinum Nolanum *Andreas* c. XXVII 406 ep. XXXII 17, 25 *Elias* c. V 42 *Esaias* c. XXV 73 XXVI 195 *Ezechias* c. XXII 128 XXVI 167. 176 *Hermias* c. XV 96 *Ionas* c. XXIV 169 *Lucas* c. XXVII 424. 425 ep. XXXII 17, 25 *Satanas* c. XIX 98 *Thomas* c. XXVII 415 XXXI 152. 153 *Zacharias* c. VI 27, apud Sedulium *Ionas* p. c. I 192 *Iudas* p. c. V 117 h. II 73 *Lucas* p. c. I 357 *Thomas* p. c. V 378, apud Dracontium *Ezechias* l. d. II 672 — Latine terminata *Iona Iuda*, apud Ennodium *Helias* 43, 119, apud Aratorem *Ananias* act. ap. I 417 (sed *Anania* I 716) *Isaias* act. ap. I 275 *Lucas* ep. ad Vigil. 19, apud Corippum[2] *Thomas* Iust. I 18, apud Eugenium Toletanum *Lucas* c. VIII 15, 24, apud Venantium *Andreas* c. I 2, 11 *Cosmas* c. X 10, 11 *Esaias* c. IX 2, 33 *Helias* c. IV 26, 93 VIII 3, 135 IX 2, 39 *Ionas* c. IX 2, 33.

Atque ut terminationem *-ης* etiam *-ας* syllabam finalem

---

[1]) Cf. Pape-Benseler II³ 1185.

[2]) Praeterea permulta exstant nomina Maurica Graecanico modo per *-ας* terminata, quae non attuli, quia non Graecae esse originis videntur. Cf. F. Skutsch, Berbernamen bei Corippus, Byzantinische Zeitschrift, IX 152 sq.

poetae huius temporis[1]) corripere non veriti sunt. Quod factum est his locis: *Eliăs* Paul. Nol. c. V 42 *Iudăs* Cypr. G. 1166 Avit. VI 404 Sedul. h. II 73. Quod igitur Lucianus Mueller (de re metr.[2]) p. 404. 423) terminationem -*ας* umquam correptam esse negat, eum erravisse elucet. Etenim unum locum (Avit. VI 404) attulit, ceteros non respexit. Nos autem hanc terminationem per analogiam nominum tertiae declinationis in -*as*, -*adis* desinentium correptam esse existimantes non multum a vero aberrabimus. Praeterea in severiora prosodiae Latinae praecepta poetae peccaverunt in his nominibus Graecis Latine exeuntibus: *Archўta* Apol. Sid. c. II 176 Ven. Fort. c. VII 12, 25 *Perdīca* Drac. R. II 41 aegr. Perd.[2]) 63. 66. 100. 104. 234. 290. Deinde minime sibi constantem esse quantitatem vocum Hebraicarum inveni. Nomen *Ionas*, quod plerumque *δισυλλάβως* pronuntiatur, tribus stat syllabis bacchei loco in fine horum versuum: c. de Iona 25. 98 (sed *Iōnā* 100). Deinde nomen *Esaias* vel *Isaias* interdum *e* vocalem correptam exhibet his locis[3]): Prud. ap. 595 Paul. Nol. c. XXVI 195 (recte XXV 73) Avit. VI 44. Praeterea falsam praebent mensuram nomina *Ānanĭas* Orient. com. I 520[4]) *Andrēas*[5]) (omnibus locis) *Helīas*[6]) (semper praeter Paul. Nol. c. V 42, ubi ultima syllaba corripitur) *Hieremĭas* adv. Marc. III 179 *Mīcheas*[7]) adv. Marc. III 196 *Iosīas* adv. Marc. III 142.

3. Nomina feminini generis primae declinationis per -*η* vel -*α* terminata[8]) in lingua Latina permultis locis

[1]) Hoc iam apud priores poetas factum est, ut *Eliăs* apud Ausonium in ephemeride III 42. Cf. Neumann p. 18.

[2]) Erravit Teuffelius in historia litterarum Romanarum (p. 1224), quod dixit: *Die griech. Namen sind richtig gemessen.*

[3]) His omnibus locis hoc nomen finem obtinet versus, ut legendum sit *Ĕsājās* *i* vocali consonantis loco adhibita. Ceteris quoque locis certo pronuntiatio eadem *i* vocalis (*Ēsāiás*) statuenda est. Cf. Fr. Hanssen, De arte metrica Commodiani, Diss. philol. Argent. select. V 1881, p. 72. — Neumann l. c. p. 95.

[4]) Cf. Forcellini De-Vit, Onomasticon Latinum I p. 282.

[5]) Cf. Thesaurus linguae Latinae II p. 36.

[6]) Forcellini De-Vit, Onomast. III p. 322. — Neumann l. c. p. 95.

[7]) Forcellini De-Vit IV p. 506.

[8]) Neue I³ p. 65 sq. — Sniehotta l. c. p. 8. 49—50. — Bednara l. c. p. 42.

Graecam terminationem servant, id quod ab Augusti temporibus in linguam Latinam intrare videmus[1]). Neque hoc mirum est in nominibus Graece per *α* impurum h. e. *α* correptum terminatis, quia Latina eadem est terminatio ac Graeca[2]). Nomina autem in *α* purum h. e. *α* productum desinentia, quorum nonnulla apud priores poetas *α* longum servant[3]), apud poetas de quibus quaerimus omnibus locis cum Latino *ă* mutaverunt. Haec omnia singillatim afferre, quia longum est nec quicquam singulare praebet, supersedeo. Satis est ea enumerasse, quae Graecam -η terminationem servaverunt. Haec fere exstant apud Prudentium *Persephone* ap. 475 (sed *Proserpina* ap. 488), apud Damasum *Afrodite* Pseudodamas. ep. LXXXV 1 *Irene* ep. X 2 *Theodote* ep. CVII 7, apud Victorem *Inarime* al. III 736, apud Sidonium *Agaue* c. XXII 89 *Alceste*[4]) c. XI 67 XV 165 *Barce* c. VII 449 *Circe* c. XI 67 *Cybebe* [-*es* P] c. VII 31 *Euadne* c. XI 71 *Harpalyce* ep. VIII 11, 10 *Hippodame*[5]) c. XI 69 *Niobe* c. XXII 90 *Oete* [*oethae* C *othe* P *oethe* TF] c. IX 98 XV 143 *Paphie* c. XI 129 *Pholoe* c. VI 23 *Priene* c. XXIII 105, apud Licentium *alcyone* 93, in carm. de ponderibus *cotyle*

— Leimeister l. c. p. 12. — Zwiener l. c. p. 23, 148—50. — Neumann l. c. p. 21. — Koene, Über die Sprache der röm. Epiker, Münster 1840, p. 42 sqq.

[1]) Quae plane in sermonem Latinum transierunt atque apud omnes fere poetas exstant, in dissertatione non respexi (Cf. Neumann p. 9): *amphora ancora aula bibliotheca chorda cithara concha crypta cumba* (*cymba*) *drachma ecloga epistula gaza historia hydra leaena lyra machina mitra musa myrrha norma nympha palaestra palma pharetra phiala* (*fiala*) *philomela plaga* (= πληγή) *podagra pompa scaena schola sphaera stola stropha syllaba tragoedia zona* — *phalerae* (= τὰ φάλαρα) *thermae.*

Vocum a Christianis in sermonem Latinum receptarum seclusi has: *basilica blasphemia cathedra ecclesia gehenna.*

[2]) Mirum in modum auctor carminis de aegritudine Perdicae per *ā* longum terminavit elisione praetermissa *Andromedā* in versu 229.

Hic erat Andromeda, hic altera Laudamia

Quod propter homoeoteleuton factum esse nemo non videt. Addo apud priores poetas plerumque dialecti Ionicae formam *Andromede* adhibitam esse.

[3]) Cf. Zwiener l. c. p. 23. — Neumann l. c. p. 21.

[4]) Haec forma in sermone Latino praeter usitatiorem *Alcestis, -idis* (Graece Ἄλκηστις -ιδος) in usu fuit. Cf. Thes. ling. Lat. I p. 1514.

[5]) *Calliope Cythere Hippodame Penelope* plerumque vocantur *Calliopea Cytherea Hippodamia Penelopea.*

73 *olee* 19, apud Martianum Capellam *Ἀθήνη* 194, 24 *Calliope* 332, 5 *Dione* 31, 29, 255, 13 [*-ae* B¹ R¹] *Melpomene* 331, 15 *Paphie* 245, 6, apud Namatianum *Libye* I 59 *Thyle* I 499, apud Dracontium *Agaue* R. X 551 *Andromache* R. IX 38. 91. 151 Or. tr. 748 *Clymene* R. II 56. 116 *Cythere* R. VI 80 X 84 (sed *Cytherea* R. VI 90) *Clytaemestre* Or. tr. 376 *Dione* R. VI 12 VII 138 X 81. 144 *Euadne* l. d. III 507 *Glauce* R. X 369. 447 Or. tr. 431 *Hermione* Or. tr. 807 *Hesione* R. VIII 52. 333. 367 *Melpomene* R. X 21 *Oenone* R. II 119 [*Dione* N *i* vocali producta] VIII 63 *Polyxene* R. IX 40 *Tesiphone* R. X 481, in carm. de aegritudine Perdicae *Danae* 230 *Daphne* 26 *Dirce* 231 *Glauce* 230 *Progne* 231, apud poetas Anthologiae Latinae *Atalante* 21, 206 *Danae* 21, 200 *Glauce* 21, 200 *Helle* 21, 204 *Passiphae* 365, 6, apud Priscianum in periegesi nomina geographica *Cerne* 207 *Crete* 526 *Cyrene* 197 *Libye* 163 *Lilybe* 482 *Lyrbe* 809 *Patalene* 1000 *Perge* 805 *Selge* 809 *Sinope* 750, apud Boethium *Phoebe* [*foebus* K β] II 8, 8 IV 5, 10 *Thyle* III 5, 7, apud Ennodium *Cythere* [*cytere* B, *citerea* ceteri] 388, 55, apud Aratorem *Melite* act. ap. II 1127, apud Corippum[1] *Libye* Ioh. III 275 *Meroe* Iust. III 91 *Tisiphone* Ioh. III 111, apud Venantium *Agathe* c. IV 26, 97 VIII 3, 33 *Aragne* v. M. II 87 *Thyle* c. VIII 1, 16 v. M. III 494.

Huc accedunt tituli Graecis litteris scripti carminis de figuris *Ἀναστροφή* 156 *Ἀντιμεταβολή* 15 *Ἐπιπλοκή* 63 *Ἐπιτροπή* 69 *Μεταβολή* 168 *Παραδιαστολή* 114 *Ὑπαλλαγή* 171.

Praeterea exstat nomen Hebraicum Graece declinatum *Ĭōppē*, de Iona 24 *τρισυλλάβως* enuntiatum. Graecum nomen *Ἁγνή* nominativum Latinum format *Agnes* Ven. Fort. c. III 21, 11. 22, 14 IV 26, 97 V 2, 63. 19, 13 VIII 3, 35 XI 4, 3 app. 23, 1. Admoneo denique de nominativo singularis *Sodoma* de Sodom. 41 (Graece *τὰ Σόδομα*). Graecam terminationem *η* mutaverunt cum Latina *ă* voces *Atalanta Commagena Creta Cythera Dodona Europa Helena Iocasta Nicostrata* — *apotheca artaba cephalota entheca scafa* — *Arimaspa Attica Delphica Medica Memphitica Parthica Serica Taurica* — *ethnica paralytica symphoniaca* (sc. herba).

---

[1]) Cf. Welzel l. c. p. 84.

In huiusmodi quoque nominibus poetae interdum falsam admittunt mensuram nonnullarum vocalium. Ac primum certe mirum est hos istam licentiam sibi sumpsisse in Graeca terminatione -η. Etenim correptum est η finale in *Thylĕ* Ven. Fort. c. VIII 1, 16. Praeterea syllabae, quae in universum breves habentur, producuntur in nominibus *Melīte* Arator. act. ap. II 1127 *Polyxene* Drac. R. IX 40. Corripitur autem syllaba longa in nomine *Ĭrene* Damas. ep. X 2 [1]. Nominativorum denique Graece per α Latine per ă terminatorum quantitate exstant inversa *Aspīdia* Avit. VI 87 *Eufemīa* Ven. Fort. c. VIII 3, 33 *Hēlena* Drac. R. VIII 440 *Ĭphigenĭa* Drac. Or. tr. 874 (sed *Ĭphīgenĭam* Or. tr. 52) *Iudăea* Cypr. Ex. 166 J. N. 355 J. 640 *Macedōnia* Arator. act. ap. II 319 (sed *Macēdo* II 313) *Socrātica* Apol. Sid. c. XV 96 (cf. *Socrātem* Maxim. el. I 48) — *azȳma* Cypr. G. 640 passim. *ecclēsia* Eug. Tol. app. c. 20, 11 (cf. *ĕcclesia* positione praetermissa passim.) *enthĕca* Ven. Fort. v. M. II 8. 375 *mĭtra* Prud. ps. 358 *scāfa* Ven. Fort. c. VI 8, 14 *sphēra* Prud. ap. 210 Paul. Pell. euch. 146.

4. Quibus pertractatis accedamus ad tertiam quae dicitur declinationem. Ac primum quidem agam de nominibus per *-is* [2]) *-as* [2]) *-s* vel *-ax -ix -yx -x* vel *-an -in -en* vel *-or -er -r* terminatis [3]), quae omnino non nonnullis exceptis esse mutata mirum non est, quia Latinis formis plane respondent. Satis est exemplorum causa enumerasse haec: *Themis Arcas Pelops — Thrax Phoenix Phryx phalanx — Paean delphin hymen Hector aether martyr.*

Sed verba mihi facienda sunt de singulari nonnullorum huius generis nominum usu. Pauca enim, quorum stirps Graeca in consonantem exit, velut *lampas thorax* alia praeter has for-

[1]) Cf. Manitius, Mus. Rhen. XLV 316.

[2]) Quantitas est inversa in his nominibus: *Serăpis* Prud. c. S. II 532. 869 Paul. Nol. c. XXXII 123 *arthrīsis* Prud. per. X 495 *echenăis* Eug. Tol. c. LI 1 *ĕmorrois* (= haemorrhois) Ven. Fort. c. VIII 3, 195 *hĕresis* Prud. ps. 710. 725 ditt. 72 Eug. Tol. app. c. XXIII 2 *pāralysis* Ven. Fort. v. M I 368 *phrenēsis* Prud. h. 125 *pleurīsis* Prud. per. X 485 *poēsis* Prud. c. S. II 52 — *Herōdias* Paul. Nol. c. XXV 113 ἑπτάς Mart. Cap. 194, 11.

[3]) Sniehotta l. c. p. 8 sq. — Leimeister l. c. p. 26 sq. — Zwiener l. c. p. 30 sq., 160 sq. — Neumann l. c. p. 26 sq.

mas communes etiam nominativum a Graeco accusativo excurrentem in *-a* formant et secundum primam declinationem flectunt[1]. Cuius generis legimus nominativos Graecos *Colofona* Ven. Fort. v. M. II 81 *Lacedaemona* Anth. Lat. 351, 3 *Laida* Anth. Lat. 374, 1 *Persida* Ven. Fort. c. VIII 3, 149 — *lampada* Cypr. Ex. 248. 550 Ennod. 245, 20. 388, 93 *statera* Ven. Fort. c. II 6, 22 VII 6, 23 *thoraca* Ennod. 452, 16[2]. Nonnulla nomina aliam atque apud Graecos praebent terminationem Latinam. Huius generis exstat apud Ven. Fort. c. II 9, 33 *cidar* [*cidara* A, *cidaris* G][3], quod nomen *cidaris* formam praebere solet. Tum Graecum nomen ἡ σάνδυξ genuinam terminationem corripuit in *ix*, *sandix* Apol. Sid. c. XV 129, id quod propter veterem concentum *y* et *i* vocalium mirum non est. Graeca vox ὁ (ἡ) χάλιξ abbreviata est in *calx* Anth. Lat. 212, 2 Bened. Crisp. XXIV 13. Memorabile est nomen proprium *Synna* Prud. c. S. II 247 (sed *Synnas* Apol. Sid. c. V 37), cuius nominis forma communis est *Synnada, -orum* (Graece τὰ Σύνναδα)[4]. Nomina, quorum nominativus in *-ας*, genetivus in *-αντος* desinit[5], Latine modo per *-as*, modo per *-ans* finiuntur. Quae terminatio corripitur in nomine *Polydămăs* Drac. R. VIII 240. 327, id quod nisi producta paenultima syllaba fieri non potuit.

Accedamus ad nomina Graece per *-τωρ* finita[6]. Quam

[1]) Neue I³ p. 496. — H. Roensch, Itala u. Vulgata ² p. 258. — Kaulen, Handbuch zur Vulgata, Mainz 1870, p. 102 sq. — R. Kühner, Ausführliche Grammatik der lat. Sprache I 320 γ. — F. Skutsch in Stowasser, Lat.-Deutsch. Schul- und Handwörterbuch praef. XXI § 91. — Neumann l. c. p. 54 ad. 1, 62 adn. 2.

[2]) Huc accedunt hi nominativi nominum Hebraicorum: *Chebrona* Cypr. J. 23 (accusativus autem est in versu Numer. 326) *Dasemata* Cypr. G. 385 *Samsona* Cypr. J. 695 *Sebona* Cypr. G. 373 *Sidona* Cypr. G. 368 *Symeona* Cypr. G. 1341.

[3]) Ott, Jahrb. f. Philol. 1874 p. 787. Haec terminationis detractio sermonis vulgaris proprietas est. Cf. append. Prob. 36 *barbarus non barbar.*

[4]) Cf. Georges, Ausführliches lat.-deutsch. Handwörterbuch, 7. Aufl., Leipzig 1879, II p. 2687.

[5]) Neue I³ p. 233 sqq. — Buecheler, Grundriss der lat. Deklination, Bonn 1879, p. 12. Sniehotta l. c. p. 9 adn. 2. — Leimeister l. c. p. 37. — Zwiener l. c. p. 31 sq.

[6]) Neue I³ p. 267 sq. — Zwiener l. c. p. 31. 161.

terminationem in lingua Latina per analogiam nonnullorum casuum obliquorum nominumque Latinorum velut *amor orator* correptam esse cum Zwienero censeo. Itaque certo brevis est haec terminatio in nominibus *Castor* Apol. Sid. c. VII 35 X 13 Drac. Or. tr. 303 *Hector* Drac. R. IX 104. 144 Ven. Fort. c. VII 12, 11 — *rhetor* Apol. Sid. ep. IX 15, 37. Idem valet de nominibus per *-ηρ*[1]) finitis quae terminatio uno loco (*clyster* Bened. Crisp. XII 13) correpta est[2]). Nomen proprium *Σιμόεις, -εντος* Latinam formam praebet *Simois*[3]) Drac. R. VIII 75.

5. Nomina Graece in *-ων* exeuntia[4]) paucis exceptis[5]) Graecum exitum servant neque *n* litteram ultimam subtrahunt. Quam terminationem Graecam ab Augusti temporibus praevalere videmus. Addo nihil interesse, utrum genetivus in *-onis* an *-ontis* exeat. Itaque nomina, quorum genetivus in *-onis* exit, Graeca terminatione instruxit Prudentius haec: *Ammon* ap. 443 *Babylon* h. 448 *Lacedaemon* c. S. II 247 *Marcion* h. praef. 36[6]) — *chalcedon* ps. 857 *daemon* ap. 401 h. 622 c. S. I 369 II 767. 889 per. II 505 X 124. 1088. ditt. 141 *topazon*[7]) ps. 861, Hebraica nomina haec: *Aaron* ps. 548 *Abessalon* h. 577. 580 *Salomon* ps. 807 *Simon* c. S. II praef. 1 *Samson* ditt. XVIII 1; in titulis legimus *Daemon* ditt. XXXVI *Samson* ditt. XVII XVIII (accusativus est ditt. XVII 1).

Auctor carminis adv. Marcionitas Graece declinavit *Gedeon* III 81 *Marcion* III 297; Cyprianus nomina Hebraica[8])

---

[1]) Neue I^3 p. 260. — Leimeister l. c. p. 37.

[2]) Vocabulum *aer* tribus locis (c. ad Flav. Fel. 198. 319 Drac. l. d. II 34) *a* vocalem contra regulam correptam exhibet.

[3]) Cf. Neumann l. c. p. 27.

[4]) Neue I^3 p. 235 sq. 245 sq. — Sniehotta l. c. p. 17. — Leimeister l. c. p. 29. — Zwiener l. c. p. 46 sq. 160 sq. — Neumann l. c. p. 30 sq.

[5]) Non singillatim attuli appellativa *draco leo*, quippe quae plane in sermonem Latinum transierint.

[6]) Hoc nomen an Graecae sit originis, dubium est. Cf. Pape-Benseler II 1864.

[7]) Nominativus Graecus aut *ὁ τοπάζιος* (sc. *λίθος*) aut *ὁ τοπάζων* est.

[8]) Per metaplasmum in alteram transierunt declinationem nominativi *Aronus* Ex. 332. 676. Num. 518 *Phisonus* [*on* m. *-onis* A] G. 57, in primam declinationem nominativi *Samsona* Iud. 695 *Sidona* G. 368 *Symeona* G. 1341.

Aaron N. 302 (sed *Aronus* infra) *Abdon* Iud. 477 *Esebon* Iud. 468 *Gabaon* Ies. Nav. 321 *Gedeon* Iud. 286. 297 (324) 362. 377 *Geon* G. 61 *Helon* Iud. 475 (= *Αἴλωμ*) *Pharaon* Ex. 291 (sed *Pharao* Ex. 488); Victor *Geon* al. I 284 *Fison* al. I 275; Orientius nomina Hebraica *Salomon* com. I 367 *Samson* com. I 375; Apollinaris Sidonius nomina Graeca *Aegaeon* c. VI 25 *Amazon* c. XIII 11 IX 45 XV 142 *Ammon* c. XVI 101 *Babylon* c. II 81 *Calydon* c. XIV 17 *Chiron* c. I 17 XIV 27 *Hammon* c. V 263 IX 201 *Hilarion* c. XVI 101 *Iason* c. XXIII 272 *Lacedaemon* c. V 44 XI 18 *Marathon* c. IX 39 *Phabaton* c. XXIII 268 *Porfyrion* c. XV 20 *Procyon* c. XVI 79 *Pyragmon* c. XI 16 *Solon* c. XV 47 *Triton* c. XI 34 *Zenon* c. II 176 XV 123; Paulinus Petricordiensis *daemon* I 222 II 216. 541. 547. 609 III 153. 219. 344 IV 456 V 323 VI 82; Avitus nomina Hebraica *Geon* p. I 262 *Physon* p. I 290 *Salomon* p. VI 387; Endelechius in titulo *Aegon*; Paulinus Nolanus nomina Graeca *Babylon* c. IX 21. 54 XXVI 168 — *daemon* c. XXIII 92 XXVI 332 XXXI 78, Hebraica[1]) *Salomon* c. XXVIII 244 *Sion* c. IX 21; Sedulius nomen Hebraicum *Simon* p. c. IV 118; Symphosius *Deucalion* A. L. 286, 237; Martianus Capella *Adon* 48, 31 *Ammon* 48, 31 *Amphion* 339, 16 *Strymon* 339, 10; Dracontius nomina Graeca *Adon* R. II 120 *Agamemnon* Or. tr. 25. 410 *Amazon* R. II 119 *Chiron* R. IX 106 *Gorgon* R. IV 44 *Iason* R. II 105 X 19. 34. 42. 56. 179. 198. 217. 238. 254. 267. 338. 342. 367. 379. 418. 553[2]) *Palaemon* R. X 583 *Pluton* R. II 121 X 539 *Telamon* R. VIII 254. 285, Hebraica *Abessalon* sat. 163 *Salomon* sat. 161. 167; poetae Anthologiae Latinae *Chilon* 351, 3 *Iason* 21, 203 *Memnon* 293, 2. 6 *Pluton* 21, 201. 299, 8 *Pygmalion* 21, 213 *Solon* 351, 1 — *alcyon* 383, 6; Namatianus *Gorgon* I 515; Priscianus in periegesi *Babylon* 930 *Croton* 362 *Hammon* 196 *Iaon* 413 *Ladon* 414 *Memnon* 237; Ennodius

[1]) Forma *Ārōn* c. XXV 238 terminatione carens genetivi locum tenet; item *Ăăron* Prud. ps. 884 et *Ăăron* adv. Marc. IV 117. Cf. Thes. ling. Lat. I 41. Item genetivi locum tenet *Sion* Paul. Nol. c. IX 25. 27. 31 Ven. Fort. v. M. III 510 c. III 7, 1, accusativi Prud. h. 459 Paul. Nol. c. VIII 9 LX 3 XIX 93. Accusativi locum tenet *Pharaon* Victorin. d. m. M. 313.

[2]) Quod nomen semper in fine hexametri ponitur praeter X 42. 254. 267. *I* littera omnibus locis praeter *Iasone* (abl.) R. X 426 vocalis est.

Amphion 213, 33 *Helicon* 27, 39; Arator appellativum Graecum *daemon* act. ap. II 435. 648, nomen Hebraicum *Simon* act. ap. I 630. 663; Corippus *Adon* Ioh. IV 514 *Ammon* Ioh. II 110 VI 116. 147. 179. 190. 556 VII 515. 534 VIII 252 *Memnon* Ioh. I 186 *Nasamon* Ioh. VI 198. 552. 589. 692 VII 465. 510 VIII 95. 177. 234. 274. 428. 639 *Sinon* Ioh. IV 23 *Solomon* Ioh. III 401. 441; Isidorus nomen Hebraicum *Salomon* XIX 1; item Eugenius Toletanus *Salomon* sat. 137. 139. 143 c. VIII 7 et appellativa Graeca *alcyon* c. XLV 1 *daemon* c. XI 7. 14; Venantius Fortunatus nomina Graeca *Adon* c. VII 12, 18 *Calchedon* c. VIII 3, 169 *Phison* v. M. II 77 — *daemon* v. M. I 103 III 298, Hebraica *Ăāron* c. II 9, 31 IX 2, 25 *Gedeon* c. IX 2, 29 *Geon* v. M. II 77 *Salomon* c. III 6, 1 *Samson* c. IX 2, 29; praeterea apud eum exstant formae sermonis vulgaris *archidiacon* v. M. III 38 *diacon* c. IV 15, 3, quae communem terminationem *-us* alterius declinationis abiciunt et secundum tertiam flectuntur declinationem [1]); secundum primam declinationem finitur nomen ex Graeco accusativo factum *Colofona* v. M. II 81.

Nominum deinde, quorum genetivus in *-ontis* exit, exstant haec: *Charon* Prud. h. 502 c. S. I 386 *Creon* Drac. l. d. III 271 R. X 367. 521. 553 *Eurymedon* Prisc. per. 803 *Laocon* Drac. R. VIII 181 *Phaethon* Phoc. vit. Verg. 46 Anth. Lat. 324, 1. 3 Coripp. Ioh. I 336 III 395 *Phlegethon* Anth. Lat. 21, 201. 301, 1 *Thermodon* Prisc. per. 748. 902.

Latine praeter appellativa quae supra attuli, haec nonnulla nomina finiuntur: *Amazo Apollo Aristo Demipho Leo Macedo Plato* — *botrio* (*botruo*), e quibus *Apollo Leo*, fortasse etiam *Plato* in sermone Latino tam trita erant, ut Romanis non Graeca viderentur. Nominum Hebraicorum Latine cadunt *Pharao* (*Farao*) *Samso*.

Ceteris autem locis quamquam Graeca terminatio *-ων* servata videtur esse, tamen 24 exstant loci, quibus poetae eam corripuerunt, id quod iam apud poetas, de quibus scripsit Neu-

[1]) Rönsch l. c. p. 262. — G. Hartel, Archiv f. lat. Lexikogr. III 35. — Bonnet, Le Latin de Grégoire de Tours, Paris 1890, p. 370 sq. — G. Koffmane, Geschichte des Kirchenlateins, Breslau 1879, I 1. p. 35.

mannus, hic illic factum esse videmus. Atque correpta est syllaba finalis his locis [1]: *Agamemnon* Drac. Or. tr. 410 *Ammon* Mart. Cap. 48, 31 *Ascalon* Coripp. Iust. III 89 *Calchedon* Ven. Fort. c. VIII 3, 169 *Geon* Ven. Fort. v. M. II 78 *Iason* Drac. R. X 42. 254. 267 *Lacedaemon* Prud. c. S. II 247 Apol. Sid. c. V 44 *Marcion* Prud. h. praef. 36 adv. Marc. III 297 *Physon* Avit. p. I 290 *Simon* Arator. act. ap. I 630. 663 — *alcyon* Eug. Tol. c. XLV 1 *chalcedon* Prud. ps. 857 *daemon* Paul. Nol. c. XXIII 92 XXXI 78 Prud. c. S. II 889 per. II 505 X 1088 Arator. act. ap. II 435 Ven. Fort. v. M. I 103.

Praeterea alia quoque occurrunt exempla prosodiae plane neglectae. Corripiuntur vocales longae in nominibus *Amphĭon* Ennod. 213, 33 *Calchĕdon* Ven. Fort. c. VIII 3, 169 (correpta ultima) *Lăocon* Drac. R. VIII 181 *Marcĭon* adv. Marc. III 297 (cf. *Marcĭonem* I 141 *Marcĭonis* I 144). Producuntur vocales breves in nominibus Graece finitis *Ādon* Mart. Cap. 48, 31 *Salōmon* Avit. p. VI 387 *Sōlon* Anth. Lat. 351, 1. — *archidiācon* Ven. v. M. III 38 *diācon* Ven. c. IV 15, 3, in nominibus Latine exeuntibus *Macēdo* Arator. act. ap. II 313 [2]) *Pharāo* Arator. act. ap. II 1145. 1242 *Plāto* Ven. Fort. c. VII 12, 25. Variam prosodiam exhibet nomen Hebraicum *Aron* [3]). Exstat forma *Aărōn* vel *Aārōn* Cypr. N. 302 Ven. Fort. c. IX 2, 25 anapaesti vel spondei loco, bacchium autem efficit in fine hexametri *Ăāron* Prud. ps. 348 Ven. Fort. c. II 9, 31. Notabile deinde mihi videtur, quod *Adonis* [4]) nomen variat exitum. Etenim legimus *Adon* Mart. Cap. 48, 31 Drac. R. II 120 Coripp. Ioh. IV 514 Ven. Fort. c. VII 12, 18 et formam usitatiorem *Adonis* adv. pag. 19 Paul. Nol. c. XXXII 140. Nomina propria Hebraica, quae in lingua Graeca oxytona sunt, velut *Salomón Simón Sión* alia plerumque accentum peregrinum servant [5]).

---

[1]) Cf. Luc. Mueller², De re metrica p. 424; sed non omnia attulit exempla.

[2]) Apud Graecos quoque invenitur porrecta secunda. Cf. Luc. Mueller², De re metrica p. 444.

[3]) Cf. Thes. ling. Lat. I 41.

[4]) Ibid. I 803 sq.

[5]) Cf. Hanssen l. c. p. 71.

6. Nomina Graece in -ευς exeuntia[1]) uno excepto hanc terminationem ita servant, „ut -ευς pro una syllaba sit“ (Sniehotta p. 9). Quibus de nominibus facile mihi iudicare licet, quia nullo fere loco dubitatio esse potest. Huius generis invenimus nomina haec[2]): *Briareus* Apol. Sid. c. VI 25 XV 27 *Lynceus* Apol. Sid. c. XV 171 *Nereus* Ennod. 388, 13 Mart. Cap. 10, 10 Coripp. Iust. III 15 *Oileus* Apol. Sid. c. V 197 *Orpheus* Apol. Sid. c. VI 29 X 17 Drac. R. I 11 Boeth. III 12, 50 Ennod. 423, 2 Ven. Fort. c. VII 1, 1. 12, 22 *Peleus* Drac. R. IX 196 *Perseus* Apol. Sid. c. XI 88[3]) *Prometheus* Symphos. A. L. 286, 258 *Tereus* aegr. Perd. 4 *Theseus* ad senat. 61 *Tiphoeus* Apol. Sid. c. VI 27.

Ex his finem hexametri obtinent 11 nomina, ut his locis de monosyllaba pronuntiatione terminationis -ευς dubitari non possit. Deinde in tribus nominibus *Nereus* Coripp. Iust. III 15 *Peleus* Drac. R. IX 196 *Theseus* ad senat. 61 propter consonantem sequentem *-eus* exitus in arsi positus in duas syllabas distrahi nequit. Nomen *Briareus* etiam vocali sequente (Apol. Sid. c. VI 25) Latinam pronuntiationem *-ĕŭs* non fert. Restant igitur hi quattuor loci, de quibus dubitari potest: *Orpheus* Drac. R. I 11 Boeth. II 12, 50 Ven. Fort. c. VII 1, 1 VIII 12, 22. Certe Latina terminatio *-ĕŭs* agnoscenda est in hoc tetrametro trochaico (Drac. R. I 11):

hós chelýs Muséa tótos Órpheúsque míscuít.

Ceteris tribus locis poetae exitum *-eus* in thesi ante vocalem insequentem posuerunt, ut diiudicari non possit, utram terminationem in animo habuerint. Nomen Ἀχιλλεύς ut apud priores poetas ubique formam praebet *Achilles.*

---

[1]) Neue I³ p. 504 sq. — Sniehotta l. c. p. 9—15. 50—51. 61 adn. 2. — Bednara l. c. p. 356 (44). — Leimeister l. c. p. 26 sq. — Zwiener l. c. p. 34 sq. 171 sq. — Neumann l. c. p. 28 sq. — Th. Birt, Mus. Rhen. XXXIV 1—37. — Idem, Mus. Rhen. LII Suppl. 10 sqq. — Lindsay, The Latin Language, Oxford 1894 (Versionis Germanicae a Nohlio editae Lips. 1897) p. 44.

[2]) *Achilleus* Drac. Or. tr. 891 quin adiectivum substantivi loco adhibitum sit, dubitari non potest. Confer Or. tr. 808 *stirpis Achilleae.* Cf. Rossberg l. c. p. 99 — Thes. ling. Lat. I 395.

[3]) De forma *Perseius* Apol. Sid. c. VII 35 confer, quae dixit Birtius Mus. Rhen. Suppl. LII 16.

7. Nomina, quorum nominativus Graecus in -υς excurrit[1]), hanc terminationem in sermone Latino nonnullis exceptis non mutant. Itaque legimus *Erinnys* Prud. ps. 566 *Erinys* Drac. Or. tr. 785 Coripp. Ioh. III 37 *Halys* Prisc. per. 757 *Libys* Sid. c. V 46 (sed formas abbreviatas *Libs* c. XV 143 *Lips* c. IX 97)[2]) *Othrys* Sid. c. VI 23 IX 90 Avit. p. IV 516 *Tethys* Prisc. per. 58. 831 *Tifys* Sid. c. VII 36 XI 4 — *chelys* Prud. ap. 388 Victor. al. II 165 Sid. c. VI 2 XV 67 Avit. p. VI 7 Paul. Nol. c. XX 59 XXI 327 Mart. Cap. 53, 4. 342, 4. 347, 7 Drac. R. I 11 Ven. Fort. c. VI 10, 71 *chlamys* Prud. ditt. 79 Sid. c. II 6 Drac. R. VIII 483 Coripp. Iust. II 119 Ven. Fort. c. IX 2, 125 X 7, 57. 10, 16 v. M. I 66 II 207. 453 c. IX 6, 103 (in titulo) *erinys* Ven. Fort. v. M. III 129.

Terminationem -υς mutaverunt in Latinam *-us* nomina *Rhadamanthŭs* Drac. R. IX 134[3]), quae forma antiqua et usitata erat, et *botrus* adv. Marc. II 231[4]).

8. Sequantur nomina tertiae declinationis per -ους -ως -ω vel -ης terminata[5]), quae hanc terminationem omnino non mutant. Exitum -ους praebent *Melampus* Apol. Sid. c. IX 197 *Oedipŭs* Drac. R. X 584 l. d. III 270[6]), quod nomen correpta exstat alterius declinationis terminatione.

Exitum -ως praebent *Athos* Apol. Sid. c. II 509 *Minos* Drac. R. IX 133 *Tros* Prud. c. S. I 233 — *heros* Prud. cath. VI 114 X 70 per. VI 149 X 52 cent. Prob. 518 contr. pagan. 20 Paul. Petr. IV 79 Cypr. I. 146. 200 Avit. p. IV 222 V 67 VI 527 Paul. Nol. c. XXIV 573 Anth. Lat. 21, 66 Merob. pan. II 119 Drac. R. VIII 47. 253 X 41 Or. tr. 480. 624. 637 Coripp.

---

1) Sniehotta l. c. p. 16. — Leimeister l. c. p. 38. — Zwiener l. c. p. 51. 172. — Neumann l. c. p. 33.

2) Cf. M. Mueller, De Apollinaris Sidonii Latinitate. Diss. Hal. 1888 p. 8.

3) Cf. Vergil. Aen. VI 566 Ovid. met. IX 436.

4) Quod nomen a Christianis demum poetis hac terminatione *-us* instruitur. Cf. Georges I 801.

5) Sniehotta l. c. p. 15 sq. — Leimeister l. c. p. 30. 37. 38. — Zwiener l. c. p. 53. 172 sq. — Neumann l. c. p. 34 sq.

6) Cf. Luc. Mueller², De re metr. p. 495, qui unum tantum attulit exemplum.

Ioh. I 468 II 335 IV 290. 720 VI 682 VIII 630 Apol. Sid. c. VII 581 XI 74 XVI 100 Ven. Fort. c. II 14, 12 v. M. III 83. Similiter declinatum est nomen Hebraicum *Amos* adv. Marc. III 196.

Corripiuntur contra usum severiorem vocales natura longae in nominibus *Mĭnos* Drac. R. IX 133 *hĕros* Ven. Fort. c. II 14, 12 v. M. III 83 *herŏs* Prud. per. X 52.

Graeca terminatione *ω* afficiuntur apud Prudentium *Argo* c. S. I 117 — *echo* per. X 980, nomen Hebraicum *Iericho* ps. 536 ditt. 61, apud Sidonium *Calypso* c. XI 67 *Clotho* c. XIV 2 *Dido* c. XI 70 *Gorgo* c. XV 7, apud Symphosium *echo* A. L. 286, 9 (in titulo), apud Merobaudem *Enyo* pan. II 61, apud Dracontium *Allecto* R. X 482 *Clotho* R. VIII 203 *Dido* l. d. III 512 *Enyo* Or. tr. 498. 785 *Erichtho* R. V 130 — *echo* l. d. III 683, apud Paulinum Nolanum nomen Hebraicum *Hierīco* c. XVI 139[1]), apud Martianum Capellam, qui versibus praeposuit nomina *Clio* 34, 6 *Erato* 34, 20, apud poetas Anthologiae Latinae *Doto* 18, 40 apud Priscianum *Dido* per. 185, apud Corippum *echo* Ioh. IV 679. 682 Iust. II 166, apud Venantium *Erato* c. VI 10, 4 *Sappho* c. IX 7, 6.

Hanc quoque *o* vocalem finalem poetae corripere veriti non sunt, id quod offendere non potest, quia *o* vocalem finalem a poetis huius aetatis etiam in nominibus Latinis correptam esse constat[2]). Ac correptio *o* vocalis finalis his occurrit locis: *Clŏtho* Drac. R. VIII 203 (paenultima quoque correpta) *Dido* Drac. l. d. III 512 *Enyo* Drac. Or. tr. 785 *Gorgo* Apol. Sid. c. XV 7 — *echo* Drac. l. d. III 683.

Varium exitum praebet Graecum nomen *Γοργώ*[3]); etenim priscam terminationem servavit Sidonius, cum scripsit *Gorgo* c. XV 7, *n* autem consonam apposuerunt Namatianus (I 515) et Dracontius (R. IV 44), cum scripserunt *Gorgon*.

Nomina tertiae declinationis per *-ης* terminata[4]), quorum

---

[1]) *Hierīco* forma falsam praebet prosodiam, item apud Cyprianum Ies. Nav. 36, ubi haec forma genetivi locum tenet.

[2]) Luc. Mueller[2], De re metr. p. 417 sq. non omnia attulit exempla.

[3]) Zwiener l. c. p. 109 sq. — Neumann l. c. p. 68. 76.

[4]) Neue I[3] p. 281 sq. — Leimeister l. c. p. 37. — Zwiener l. c. p. 55. — Neumann l. c. p. 36.

genetivus Graece in *-ους* desinit, inveniuntur his locis apud Prudentium *Aristoteles* ap. 202, apud Sidonium *Anaximenes* c. II 176 *Aristoteles* c. II 174 *Asiāgēnes* c. VII 80 (*a* et *e* vocalibus contra consuetudinem productis) *Cleanthes* c. II 170 *Hippomenes* c. V 168 XI 87 XIV 14 *Praxiteles* c. XXIII 504 *Sophocles* c. XXIII 127, in carm. de figuris *Limodes* 150 (= *λημώδης*) [1]), apud Martianum Capellam *Aristoteles* 98, 13, apud Dracontium *Eteocles* R. X 585 *Ganymedes* R. VIII 479 *Lycomedes* R. IX 197 X 331 *Musăgenes* VIII 23 (*a* vocali correpta) *Palamedes* R. VIII 325 *Polynices* R. X 586, in carm. de aegritudine Perdicae *Hippocrates* 152. 171, in Anthologia Latina *Aristoteles* 365, 2 *Hippomenes* 169, 3, apud Ennodium *Diomedes* 208, 3, apud Corippum *Hermogenes* Ioh. IV 163, apud Isidorum *Origēnes* II 1 (*e* vocali producta).

Corripitur *e* vocalis syllabae finalis his locis: *Eteoclĕs* Drac. R. X 585 *Origenĕs* Isidor. II 1 *Polynices* Drac. R. X 586. (Cf. pag. 22.)

Graecorum autem more producitur haec *e* vocalis his locis: *Anaximenēs* Apol. Sid. c. II 176 *Hippomenēs* Apol. Sid. c. XIV 14 *Hippocratēs* aegr. Perd. 152 *Sophoclēs* Apol. Sid. c. XXIII 127. Dubium est, quia *h* sequitur, *Musagenes* Drac. R. VIII 23.

9. Restat ut de nominibus neutrius generis tertiae declinationis per *-ος* vel *-α* terminatis [2]) verba faciamus. Voces in *-ος* desinentes hunc Graecanicum exitum exceptis tribus *pelagus*, quod iam apud priores auctores Latine finitum adhibetur, et *Erebus* Anth. Lat. 301, 3 et *cetus* de Ion. 85 Graecam terminationem servaverunt. Legimus haec: *chaos* de Sodom. 105 Prud. cath. V 3 Victorin. de deo et hom. 96 cent. Prob. 62 Cypr. G. 4 Hilar. Arel. G. 23 Paul. Petr. v. M. II 202 Sedul. p. c. IV 286 Drac. l. d. I 8 III 68 Or. tr. 483 Anth. Lat. 301, 3 Arator. act. ap. I 180 Ven. Fort. c. III 9, 62. 87 *epos* Apol. Sid. ep. VIII 11, 26 *melos* Victor. al. II 191 Mart. Cap. 342, 15 Drac. R. VII 101.

Neutrorum in *-α* exeuntium inveniuntur haec: *aenigma*

[1]) Cf. Teuffel-Schwabe l. c. p. 1155.

[2]) Sniehotta l. c. p. 16. — Zwiener l. c. p. 53. 173. — Neumann l. c. p. 34. 36.

aroma baptisma celeuma charisma chrisma comma diadema dogma emblema epigramma epithema glaucoma malagma pascha phantasma plasma poema protoplasma schema stemma thema — *Ζεῦγμα Κόμμα.*

Quorum omnium feminini generis est et in primam declinationem transiit *schema* Domnul. de Ies. Chr. ben. 45; deinde falsam prosodiam praebet *emblĕma* Ven. Fort. v. M. II 80.

Denique enumero nonnulla nomina litterarum Graecarum. Cuius generis sunt apud Prudentium *alpha* cath. IX 11 *Ω* cath. IX 11 auctorem carm. adv. Marcionitas *Tau* III 92. 97, Orientium *alpha* de trin. 79 *iota* de trin. 77 *Ω* de trin. 79, Paulinum Nolanum *alpha* c. XIX 645. 648 *chi* c. XIX 620 *iota* c. XIX 623 *rho* c. XIX 620 *Φ* c. XIX 645. 648, Symphosium *Beta* 286, 42 (in titulo), Corippum *iota* Iust. I 353.

10. Nominativo singularis pertractato accedamus ad eorundem nominum nominativi pluralis formas [1]. Nominativi primae et secundae declinationis, qui Graece per *-αι* vel *-οι* finiuntur, nisi Latine per *-ae* velut *Nymphae Persae* vel *-i* velut *Danai* non terminantur. Neutra alterius declinationis Graece et Latine in *-a* cadunt velut *Pergama*, item tertiae declinationis ea, quorum singularis nominativus in *-a* desinit, velut *epigrammata* [2]. Ea autem neutra, quorum nominativus singularis *-os* terminationem praebet, plerumque Graecanico modo per *-ē*, rarius Latine per *-a* terminantur. Graecus exitus servatur in nominibus *Tempe* Anth. Lat. 304, 3 Prisc. per. 858 Ven. Fort. c. V 6 a, 9 — *cete* cent. Prob. 86 Avit. p. I 38 Paul. Nol. c. XVII 117 Drac. R. VII 148 Prisc. per. 598.

Mirabiliter haec quoque terminatio a Venantio correpta et nomen *Tempe* singularis loco adhibitum est in hoc versu: (c. V 6 a, 9.)

nota bonis regio pascebat Tempĕ beatos.

Mutata autem forma exstat *mela* Mart. Cap. 342, 5.

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 18. — Zwiener l. c. p. 56. 169 sqq. — Neumann l. c. p. 36 sqq.

[2]) Quorum omnium quantitate exstant inversa haec: *Cādusi* Prisc. per. 710 *Mācarii* Sid. c. XVI 100 *prŏtoplasti* Avit. p. III 333 — *cyānea* Prud. ps. 858 *idŏla* Prud. ps. 379 alibi, quae pronuntiatio omnium poetarum Christianorum communis videtur esse (cf. accusativ.), *smāragdina* Prud. ps. 862 — *nōmismata* Cypr. G. 1368 *tŏreumata* Ven. Fort. v. M. II 80.

Ceteri tertiae declinationis nominativi Graece et Latine per -$\varepsilon\varsigma$ vel -*es* finiuntur. Quae terminationes quamquam simillimae videntur esse, tamen *e* vocalis mensura inter se differunt, quippe quae apud Graecos brevis, apud Romanos longa sit. Satis est ea attulisse nomina, in quibus poetae Romani morem Graecorum secuti *e* vocalem syllabae finalis corripuerunt. Quod valet de his: *Agrees* Prisc. per. 886 *Arcades* Prisc. per. 412 *Britannides* Prisc. per. 578 *Lacones* Prisc. per. 420 *Lycaones* Prisc. per. 808 *Mimallones* Sid. c. I 13 *Pamphylides* (urbes) Prisc. per. 804 *Phryges* Paul. Nol. c. XIX 82. 87 Drac. R. VIII 651 *Pliades* Hil. Arel. 69 *Seres* Orient. com. I 128 *Symplegades* Prisc. per. 137 *Thraces* Sid. c. IX 98 Prisc. per. 321 *Tritones* Drac. R. VII 146 — *daemones* adv. Marc. I 51 Paul. Nol. c. XIX 71. 253. 267 XXIII 61 XXIV 428 *delphines* Drac. R. II 34 *lampades* Arator. act. ap. II 760 *martyres* Paul. Nol. c. XIX 8. 196. 310. 312. 319 XXI 29 XXVI 208 XXVII 216. 429.

Plerisque autem locis de *e* vocali terminationis certo iudicare non licet, quia aut in fine versus adhibetur aut positione producitur. Nonnullis autem locis e structura versus elucet -*es* terminationem per se esse longam, ut in nominibus *Aethiopes* Prisc. per. 570 *Hyades* Namat. I 633 *Oreades* Anth. Lat. 18, 9 — *syrtes* Apol. Sid. c. XVI 91. Quod igitur Sniehotta (p. 49) et Zwiener (p. 58 sq. 169) dicunt poetas etiam iis locis, quibus -*es* terminatio positione producitur, Graecam terminationem in animo habuisse, quia nullus inveniatur locus, quo *e* vocalis terminationis per se sit longa, id non cadit in poetas, de quibus nos agimus[1]). Etenim quamquam concedendum est formas *syrtes*, quia haec respondet Graecae formae Σύρτεις, et *Aethiopes* quia *h* quod sequitur apud poetas de quibus quaeritur interdum positionem efficit[2]), hac in re nihil demonstrare, tamen duo restant loci, quibus *ēs* terminatio Latina agnoscenda est. Neque hos corrigere licet. Quae cum ita sint, auctores, de quibus disserimus, non semper Graecae originis huius terminationis fuisse memores elucet.

---

[1]) Iam Neumannus (l. c. p. 37) nonnulla attulit exempla.

[2]) Cf. Luc. Mueller[2], De re metr. p. 382. — Th. Birt, Der Hiat bei Plautus u. die lat. Aspiration p. 99. 175.

§ 2. De vocativi formis[1]).

1. Vocativus alterius declinationis nominum per *-ος* finitorum Graece et Latine eundem exitum *-ε* vel *-ĕ* adhibet velut[2]) *Bacche*. Nomina, quorum nominativus in *-ius* desinit[3]), in vocativo formando *-us* terminatione abiecta in *-i* desinunt velut *Partheni*. In his quantitate exstant inversa *Anastāsi* Coripp. Anast. 31 (sed *Anastăsius* Iust. I 16 recte) *Anthīmi* Ven. Fort. c. III 29, 1 (sed *Anthĕmium* c. III 28, 5 recte) *Genēsi* Prud. per. IV 36 *Zenōbi* Anth. Lat. 316, 2. Denique exstant vocativi in *-er* excurrentes ut nominativi his locis: *Alexander* Drac. R. VIII 225 *Leander* Isidor. XIII 2 *Periander* Apol. Sid. c. II 159. Nomen Hebraicum *Ἰησοῦς* ubique vocativum praebet *Iesu*.

2. Accedamus ad vocativos nominum, quorum nominativus per *-ης* vel *-ας* finitur[4]). Nomina in *-ης* exeuntia apud priores poetas in vocativo formando *s* consonam abiciunt et *ē* terminatione afficiuntur. Uno autem loco, quo eiusmodi vocativus exstat, *e* vocalis corripitur: *Oloferně* Orient. com. I 374, h. e. hoc nomen in tertiam declinationem transiit. Ea autem nomina, quorum terminationi *τ* consonans antecedit[5]), Graece et Latine vocativum per *ă* finitum exhibent, ut *Fīloctetă* Apol. Sid. c. IX 156 (*i* vocali contra usum producta) *Niceta* Paul. Nol. c. XXVII 340 — *ānachŏretă* Apol. Sid. c. XVI 97 (*a* vocali producta et *o* vocali correpta) *pirată* Drac. R. X 248. Nomen autem *Nicetes* ceteris locis vocativum item ac nominativum per *ā* finitum exhibet: *Nicetā* Paul. Nol. c. XVII 7. 57. 161. 187. 236 XXVII 325.[6]) 636, quae forma a nominativo usitatiore *Nicetas* ducta videtur esse, Patronymicum[7]) *Aeacidā* Apol. Sid. c. II 150 *a* longum praebet. Praeter hos nonnulli vocativi terminationem nomina-

---

[1]) Neumann l. c. p. 39.

[2]) Falsam prosodiam praebet vocativus *Ĕgiste* Drac. Or. tr. 139.

[3]) Neue I³ p. 137.

[4]) Neue I³ p. 62 sq. — Sniehotta l. c. p. 7. — Leimeister l. c. p. 11. — Zwiener l. c. p. 21. — Neumann l. c. p. 39.

[5]) Neue I³ p. 39 sq.

[6]) Hoc loco id nomen pronuntiationem *Nicĕta* e vocali correpta praebet, ceteris locis rectam mensuram exhibet.

[7]) Neue I³ p. 65.

tivi retinuerunt [1]) *Aeacides* Drac. R. IX 55 *Alcides* Anth. Lat. 353, 4 *Euphrates* Cypr. Ies. Nav. 10 *Herodes* Sedul. p. c. II 83 h II 29 [2]) *Iohannes* Paul. Nol. c. VI 303. 315 Coripp. Ioh. I 469 Eug. Tol. c. LXX 1 [3]) *Moses* Arator. act. ap. II 733 *Moyses* Ven. Fort. c. II 9, 72 *Thăles* Apol. Sid. c. II 157 (*a* vocali correpta) — *psaltes* Apol. Sid. ep. VIII 9, 16 *sophistes* Apol. Sid. c. XXIII 106 [4]). Terminationem -ης corripuerunt in -*is* vocativi *Iohannis* Ven. Fort. c. III 28, 2 *Iordanis* Sedul. p. c. II 165.

Eorum nominum, quorum nominativus Graece in -ας exit, vocativus Graece per -ᾱ, Latine per -*ă* finitur. Apud poetas, de quibus hic quaeritur, nisi vocativi Latini non exstant. Etenim legimus: *Andrēă* Pseudodamas. ep. LXX 5 (*e* vocali producta) *Perdīcă* aegr. Perd. 19. 48. 72. 191. 271 (*i* vocali producta). In dubium vocari potest, quia in fine exstat versus, vocativus *Mithra* Drac. R. X 538.

3. Nomina primam sequentia declinationem, quorum nominativus in -η exit, vocativum Graecorum more per -η terminatum exhibent his locis: *Calliope* Apol. Sid. c. XIV 6 Licent. 111 Drac. R. X 26 aegr. Perd. 246 Dione Mart. Cap. 343, 3. 12. 21. 344, 8. 29 *Ioppe* Arator. act. ap. I 802 *Melpomene* [-*en* B] Drac. Or. tr. 13 *Paphie* aegr. Perd. 264 *Pasiphae* Ennod. 133, 1 *Persephone* Drac. R. X 414 *Phoebe* Drac. Or. tr. 86. Graecum nomen Ἁγνή vocativum exhibet *Agnes* Pseudodamas. ep. LXXXIV 14 Ven. Fort. c. VIII 3, 393. 7, 19 IX 7, 78 XI 5, 2 v. M. praef. 27.

4. Nomina tertiae declinationis Graece et Latine in -*is* desinentia [5]), quae vocativum per -*i* terminant, interdum voca-

[1]) Neue I³ p. 65, sed *psaltes* tantum formam attulit.

[2]) Hic vocativus *e* vocalem primae syllabae et terminationis contra usum severiorem correptam habet. Itaque Lucianus Mueller², De re metr. p. 423 transponens cum Erasmo scribere vult, ut *h* positionem efficiat:

Herodes, hostis impie.

[3]) Quod nomen in tmesi collocatur in hoc versu (Eug. Tol. c. LXX 1)

O Io — versiculos nexos quia despicis — hannes.

[4]) Adiectivum quoque cum *sophistes* vocativo coniunctum formam nominativi retinuit in hoc versu (c. XXIII 106)

et, tu Pittace, Lesbius sophistes.

Cf. Priscian, Gr. Lat. II p. 305. — C. F. W. Mueller, Syntax des Nominativs u. Akkusativs im Lateinischen, Lpz. 1908 p. 2. — F. Skutsch, Archiv. f. lat. Lexikogr. XV 41 sqq.

[5]) Neue I³ p. 443. — Zwiener l. c. p. 33. — Neumann l. c. p. 40.

tivum metri causa aeque ac nominativum in *-is* exeuntem praebent, idque, ut elisio evitetur hoc loco: *Cypris* Drac. R. X 61, ut terminatio in arsi hexametri posita positione producatur: *Cypris* Drac. de or. ros. 9.

Graecum nomen *Πυρόεις* vocativum praebet *Pyrois* Drac. R. X 127.

5. Vocativus nominum per *-ας* genetivo in *-αντος* desinente [1]) terminatorum in *ā* excurrit his locis: *Biā* Apol. Sid. c. II 161 XV 48 (sed *Bias* c. XXIII 105).

6. Vocativus nominum in *-ων* cadentium [2]) nominativi terminationem secutus Graece in *-on* finitur his locis: *Aegon* Endel. 5. 13 *Ammon* Coripp. Ioh. VIII 304 *Chilon* Apol. Sid. c. II 163 XV 50 XXIII 110 *Ĭāson* Drac. R. X 350 *Lycaon* Anth. Lat. 318, 1 *Marcion* Prud. h. 56. 124 *Pluton* Drac. R. X 539 *Salmon* Paul. epigr. 6. 52. 106 *Solomon* Coripp. Ioh. III 414 *Solon* Apol. Sid. c. II 160 XXIII 108 *Telamon* Drac. R. VIII 262. 279 — *daemon* Eug. Tol. c. XXXVI 7 (*o* vocali correptā) LXXVIII 1 LXXIX.

Apollinis autem nomen ut nominativum ita vocativum secundum Romanorum rationem formavit hoc loco: *Apollo* Anth. Lat. 254, 18.

7. Vocativus nominum in *-ευς* cadentium uno exstat loco atque Graecum exitum *-ευ* retinet: *Proteu͡* Apol. Sid. c. VII 27.

8. Nominum per *-υς* finitorum exstant vocativi *chelys* Arator. ep. ad Parth. 48 et *clamis* Paul. Petr. v. M. I 74, quo loco *y* vocalis terminationis mutata est in *i*, id quod propter similitudinem harum vocalium mirum non est.

9. Vocativus nominum per *-ως* terminatorum hoc exstat loco: *heros* Drac. R. VIII 268, vocativus nominum in *-ω* desinentium his locis: *Clio* Phoc. vit. Vergil. 4 Apol. Sid. c. V 568 *Erato* Apol. Sid. c. XXII 12. 20.

10. Vocativus nominum in *-ης* (gen. *-ους*) desinentium *es* terminationem mutavit in *-is* hoc loco: *Diogenis* Pseudodamas. ep. IC 10.

---

[1]) Neue I³ p. 446. — Zwiener l. c. p. 33.

[2]) Zwiener l. c. p. 51. — Neumann l. c. p. 40.

11. Vocativorum denique pluralis per *-es* terminatorum inveniuntur *Castalides* Apol. Sid. c. II 314 *Pierides* Ennod. 245, 37 *Phryges* Drac. R. VIII 98. 317, e quibus certo terminationem Latinam longam *ēs* praebet forma *Phrygēs* (cf. p. 38).

§ 3. De genetivi formis.

1. Genetivus, qui Graece per *-ου* terminatur[1]), Latine, si nominativus in *-ος* desinit, semper fere Latine per *i* finitur velut *Bacchi*[2]). Graecus genetivus per *-ου* terminatus tribus tantum locis invenitur in nomine geographico *Criu* (*metopon*) Prisc. per. 93. 143. 304. Nomen Hebraicum Ἰησοῦς[3]) genetivum format *Iēsu* Eug. Tol. c. VIII 8 alibi, sed *Iesutis* Cypr. Num. 379.

Ea nomina, quorum nominativus Graecus *-ας* est, genetivum semper Latine per *-ae* finitum praebent velut *Aeneae*[4]). Fluctuat autem inter primam et tertiam declinationem genetivus eorum nominum, quorum nominativus Graece in *-ης* exit[5]). Sed certa regula in his terminandis non invenitur. Id autem cum Wackernagelio, Leimeistero, Neumanno observasse mihi videor patronymica ut ceteros casus ita genetivum plerumque secundum primam formare declinationem. Dracontius solus ut omnium huiusmodi nominum ita patronymicorum genetivos

---

1) Sniehotta l. c. p. 19. — Zwiener l. c. p. 59. — Neumann l. c. p. 63.

2) Quantitatem inversam exhibent hi: *Arăti* Paul. Nol. c. XXII 125 *Aĕgypti* Cypr. Ex. 9. 30. 325 *Chelĭdōni* Prud. per. XI 237 *Ĕgisti* Drac. Or. tr. 35. 619. 757. 770 (semper in sexto hexametri pede) *Genēsi* Ven. Fort. c. V 2, 67 VIII 3, 157 *Iacŏbi* Ven. Fort. c. V 2, 20 *Pachўni* Prisc. per. 89 (quam quantitatem falsam desumpsit ex Dionysio per. 469. 471) *Policlīti* Prud. per. X 269 — *alphābeti* Paul. Pell. euch. 65 *cāmeli* Ven. Fort. v. M. IV 624 *herĕmi* vel *erĕmi* passim *hȳsopi* Cypr. Ex. 401 N. 478 *pāradisi* Apol. Sid. c. XXIV 772.

3) Neumann l. c. p. 63.

4) Falsa prosodia exstant genetivi *Andrēae* Pseudodamas. LXXXIII 14 Ven. Fort. c. I 1, 6 *Elīae* Paul. Nol. c. VI 74 XXVI 227 *Helīae* Ven. Fort. c. V 2, 25 *Leonīdae* Drac. l. d. III 279 *Marsȳae* Apol. Sid. c. XIII 38 *Perdīcae* aegr. Perd. 205.

5) Wackernagel, Arch. f. lat. Lexikogr. XIV 5. — Sniehotta l. c. p. 36. — Leimeister l. c. p. 10. — Zwiener l. c. p. 110 sq. — Housman l. c. p. 25. — Neumann l. c. p. 63.

secundum tertiam flexit declinationem. Semper primam sequuntur declinationem appellativa. Contra in nominibus propriis praevalet tertia declinatio. Etenim *-ae* terminationem primae declinationis 15 praebent genetivi, *-is* autem exitus 83 exstat locis. Nomina *Moyses* et *Ulixes* interdum genetivum in *-i* vel *-ei* desinentem exhibent, qua de re infra fusius mihi erit agendum. Praeterea cum communi regula discrepant genetivi una syllaba crescentes[1]) *Gangetis* Victor. al. I 278 *Mŏsetis* Cypr. Ies. Nav. 104 (*o* vocali correpta)[2]) *Moysetis* Cypr. Ies. Nav. 87. 275 Ex. 506, qui per analogiam nominis *Dares*, *-etis* similium formati videntur esse.

2. Sequantur genetivi primae declinationis Graece in *-ας* vel *-ης* desinentes[3]). Quorum ei, qui nominativum Graecum *-α* exhibent, in Latino sermone per *-ae* finiuntur velut *Asiae*[4]) *Scyllae*. Graecus genetivus in *-ας* desinens ter tantum apud Victorem in titulo exstat nominis *Alethias*. Nomina, quorum nominativus Graecus per *-η* finitur, saepissime Graeci genetivi exitum *-ης* servant. Quam viam ingressus scripsit Prudentius *Cybebes* per. X 196, auctor carm. adv. paganos *Megales* 65 *Parthenopes* 12 [*-is* P], Paulinus Pellaeus *Thessalonices* euch. 25, Sidonius *Diones* c. XII 2 *Helles* c. IX 44 *Hippocrenes* c. XXIII 207 *Terpsichores* c. IX 341, Paulinus Nolanus *Pyrenes* c. XXI 399[5]), Licentius *Helles* 120, Martianus Capella *Cytheres* 343, 6 *Libyes* 48, 31, Dracontius *Andromaches* R. IX 199 *Diones* R. X 590 (sed *Dionae* [*-e* N] R. VIII 240) *Phoebes* R. X 228, auctor carm. de aegritudine Perdicae *Paphies* 27 (sed *Paphiae* 9), Priscianus in periegesi *Cyllenes* 345 *Daphnes* 858 *Dodones* 444

---

[1]) Cf. Rönsch l. c. p. 264. — Ott l. c. p. 791.

[2]) Praeterea falsam prosodiam praebent genetivi *Aeĕtis* Drac. R. X 59 [*aethios* cod.] (*Aeētae͡immitis* Baehrensius recta mensura) *Pȳlādis* Drac. Or. tr. 150. 626. 756. 853 (sic etiam nominativus).

[3]) Neue I³ p. 97 sqq. — Sniehotta l. c. p. 19 sq. — Bednara l. c. p. 355 (43). — Leimeister l. c. p. 14 sq. — Zwiener l. c. p. 60 sqq. — Neumann l. c. p. 63.

[4]) Falsa prosodia exstant *ecclĕsiae* Eug. Tol. app. c. XXI 1 *sophīae* Prud. c. S. I 34.

[5]) Eodem modo declinavit nomen Hebraicum, quod declinari non potest, hoc loco: *Hierusales* [*-em* B] c. XXIV 49.

Europes 78. 259. 542. 544 (sed *Europae* 32 elisionis causa) *Helles* 554 *Hesperies* [-*as* fere B] 831 *Idothees* 243 *Ĭŏpes* 852 *Ithaces* 521 *Libyes* 78. 207. 246. 250 (sed *Libyae* 55. 506) *Parthenopes* 352 *Phoenices* 539 *Pyrenes* 279. 337 *Syenes* 213 *Thebes* 235, Boethius *Phoebes* IV 6, 7.

Nomen Ἁγνή genetivum format *Agnes* Pseudodamas. ep. LXXXIV 4 Prud. per. XIV 1 (sed *Agnetis* per. XIV in titulo).

Digni sunt qui afferantur genetivi *Hierosolymae* Ven. Fort. app. I 99 (Ἱεροσόλυμα, -ων) *Sodomae* Sedul. p. c. I 121 Paul. Nol. XXVI 226 Cypr. G. 625 (Σόδομα, -ων).

Sidonius -ης terminationem corripere non veritus est hoc loco: *Hellĕs* c. IX 44. Falsa prosodia exstat genetivus Latine declinatus *Melītae* Arator. act. ap. II 1206 (sic etiam nominativus II 1127).

3. Genetivum tertiae declinationis Graece per -ος terminatum[1]) poetae saepe retinuerunt imprimis nominum, quorum stirps in -*on*, -*ad* vel -*id* exit. Itaque invenimus apud Sidonium *Lacedaemonos* c. IX 186 *Strymonos* [-*is* C. F.] c. V 491 — *Pallados* c. VI 6 *Phoebados* c. V 198 XV 2 *Synnados* c. XXII 138 — *Tritonidos* c. VII 194 *nebridos* c. V 497, apud Martianum Capellam *Gorgonos* 332, 3 *Panos* 343, 17 *Phaethontos* 343, 25, apud Merobaudem *Stygos* c. IV 20 *Thetidos* c. I 16, apud Dracontium *Pallados* R. VI 13, apud Priscianum in periegesi *Heliados* 404 *Suniados* (rupis) 532 *Symplegados* 305 — *Tethyos* 65. 163. 174. 252. 568. 609. 688. 1011, apud Corippum *Garamantidos* Ioh. VI 198 *Iohannidos* (in titulo).

In genetivis Latine finitis affero *elephantis* Prisc. per. 1017 (nominativus plerumque *elephantus*) et *Babylonae* Drac. sat. 31, quod nomen per metaplasmum in primam transiit declinationem[2]). Venantius exiens a genetivis Latine cadentibus formavit nominativos *Persīdis* c. V 2, 11 app. I 97 (*i* vocali contra ius porrecta) *cycladis* v. M. III 467. Contra prosodiae poetarum qui dicuntur classicorum leges poetae peccaverunt in his nominibus: *Eutrōpitis* Ven. Fort. c. I 13, 3 *Manēthŏnis* Apol. Sid. c. XXII

[1]) Neue I³ p. 449 sqq. — Sniehotta l. c. p. 21. — Leimeister l. c. p. 30 sq. 33. 38. — Zwiener l. c. p. 63 sqq. 162 sq. — Neumann l. c. p. 66 sq.

[2]) Cf. Thes. ling. Lat. II 1653.

125 *Naīdis* Drac. R. II 81 (recte accus. plur. *Naĭdas* R. VII 35) *Ctēsiphontis* Apol. Sid. c. XXIII 140 *Phoenĭcis* Drac. l. d. I 653 R. V 116 *Sārăpidis* contr. pag. 50. 91.

4. Sequantur reliquae genetivi formae. Nomina, quorum nominativus Graecus in -*ης*, genetivus in -*ους* exit[1]), semper fere genetivum Latine per -*is* terminant: *Borysthenis Demosthenis Diomedis Hippomenis Polinicis*. Semel tantum Graeca forma servata est hoc loco: *Socrātus* Paul. Pell. euch. 73, quae metri causa *a* vocalem productam praebet.

Genetivi per -*εως* terminati nominativo in -*ις* excurrente inveniuntur hoc loco: *haereseos* Prosper. d. i. 189; praeterea in titulis *Geneseos* Cypr. *Pleureseos* Bened. Crisp. X.

Ceteris autem locis terminatio Latina scripta est horum nominum[2]): *Genesis Lachesis Tripolis haeresis hĕresis* (Ven. Fort. c. V 2, 29 v. M. I 115 IV 338) *mathĕsis* (Prud. c. S. II 479).

Per analogiam horum nominum nonnullae voces, quarum genetivus Graecus semper aut plerumque in -*ιδος* cadit, genetivum Latinum in -*is* formant: *Alcestis* Drac. Or. tr. 440 *Calais* Apol. Sid. c. XXIV 48 *Tamyris* Drac. l. d. III 501 *Tanais* Ennod. 555, 3 *Tigris* Cypr. Num. 650 — *tigris* Eug. Tol. hex. 194 (sed *tigridis* Prud. cath. III 170 Mart. Cap. 339, 6).

Nomina, quorum nominativus in -*ευς* exit[3]), genetivum aut Graece in -*εως* desinentem praebent velut *Mussēos* Cypr. Ex. 75[4]) *Nereŏs* Anth. Lat. 21, 49, ita tamen, ut *o* vocalis longa non admittatur[5]), aut saepius Latine per -*ei* finiuntur, quae vocales unam efficere syllabam solent, velut *Caferei* Apol. Sid. c. V 196 XV 1 *Nerei* Anth. Lat. 21, 18 Ennod. 423, 42 *Pelei* [*peli* cod.] Merob. c. I 15 *Promethei* [-*thi* BNO] Paul. Nol. c. XXII 45.

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 36 sq. — Zwiener l. c. p. 65. 111 sq. — Neumann l. c. p. 67 sq.

[2]) Hoc loco affero genetivum *catastae* Namat. I 393, qui e nominativo vocis Graecae *ἡ κατάστασις* corruptus est. Cf. Saalfeld l. c. p. 245.

[3]) Neue I[3] p. 455 sq. — Koene l. c. p. 33. — Sniehotta l. c. p. 22 sq. — Bednara l. c. p. 356 (44). — Leimeister l. c. p. 27. — Zwiener l. c. p. 66 sq. 171. — Neumann l. c. p. 68.

[4]) Quod nomen huc referendum esse infra demonstrabimus.

[5]) Cf. Luc. Mueller[2], De re metr. p. 496.

Achillis nomen genetivum per *-is* terminatum praebet *Achillis*. Priscianus solus in fine hexametri dixit *Achilli* per. 297.

Graecum nomen *Μελάμπους* genetivum habet *Melampi* Drac. R. VIII 459.

Γοργώ nomen genetivum a recentiore forma *Gorgon* ductum praebet *Gorgonos* Mart Cap. 332, 3. Praeterea exstat *Gorgonae* Prud. per. X 278, quae forma secundum primam formata est declinationem (cf. p. 35).

Neutra denique *Ἔρεβος* et *πέλαγος* ut in nominativo ita in genetivo formando ad exemplum alterius se accommodaverunt declinationis et formas praebent *Erebi* (*herebi*) *pelagi*.

Restat ut mentionem faciam idiotismi cuiusdam horum de quibus agimus poetarum. Etenim notum est in linguis Romanensibus genus neutrum occidisse [1]), ita tamen, ut nonnullae voces, quae antea neutrius fuerant generis, in genus femininum transirent. Quod terminatione neutrorum tertiae declinationis facillime fieri potuisse nemo non videt. Qua de causa legimus genetivos hos: *cetae* Drac. l. d. III 640 [*cete* A] [2]) (Graece *τὸ κῆτος*) *mannae* de prov. div. 410, quod nomen Hebraicum indeclinabile est, *paschae* (Graece *τὸ πάσχα* c. adv. Marc. II 64. 68 Paul. Petr. v. M. V 652 VI 353 Cypr. Ex. 372 Sedul. p. c. V 1 Arator. act. ap. II 961 Ven. Fort. c. VIII 9, 15 [3]).

5. In genetivi formis pluralibus Graecum exitum nisi genetivi per *-ων* finiti non praebent [4]). Cuius generis legimus *Bulineon* Prisc. per. 380 *Periarchon* (= *περὶ ἀρχῶν*) Isidor. II 7 *Tegestraeon* Prisc. per. 375 *epigrammaton* Anth. Lat. 287, 22,

---

[1]) De hac re fusius egerunt W. Meyer, Die Schicksale des lat. Neutrums im Romanischen, Halle 1883. — E. Appel, De genere neutro intereunte in lingua Latina, Diss. Erlang. 1883. — Konietzny, De idiotismis syntacticis in titulis Latinis urbanis (C. I. L. vol. VI) conspicuis, Arch. f. lat. Lexikogr. XV 297—351.

[2]) Vollmer adnotat: *nolui ceti* (*ut Tert. resurr. carn. 32 viscera ceti*). Sed genetivus *cetae* sine ulla analogia in lingua exstaret Romana. Contra *ceti* per analogiam formarum *erebi pelagi* similium secundum alteram declinationem formatum est. Itaque hanc formam praefero.

[3]) Adnoto iam veteres scaenicos hunc loquendi usum esse secutos (Cf. Luc. Mueller [2], De re metr. p. 492 sq.) hasque formas e sermone vulgari provenisse.

[4]) Neue I [3] p. 485. — Sniehotta l. c. p. 24. — Zwiener l. c. p. 72.

in titulis legimus apud Prudentium *Cathemerinon Peristephanon*, apud Prosperum *Haereseon* epitaph. *περὶ ἀχαρίστων* (= de ingratis)[1]).

Nonnulli genetivi pluralis, imprimis nominum barbarorum, quorum nominativus in *-ης*, genetivus in *-ων* exit, praeter *-arum* terminationem *-um* habent [2]), velut *Agenoridum* Drac. l. d. III 421 *Aeneadum* Drac. R. V 110 Prud. c. S. II 542 Namat. I 68 *Atridum* Drac. Or. tr. 374 *Dardanidum* Drac. R. VIII 18 Or. tr. 138 *Macetum* [3]) Apol. Sid. c. II 469 V 428 passim. *Maeotum* Licent. 120 *Marmaridum* Coripp. passim.

§ 4. De dativi formis [4]).

Dativi singularis formae apud poetas de quibus quaerimus semper Latinam exhibent terminationem. Nomina alterius declinationis, quorum nominativus Graecus in *-ος* exit, dativum per *o* terminant. Quorum quantitate exstant inversa dativi *Arăto* Apol. Sid. c. XXIII 113 *Ĕgisto* Drac. Or. tr. 204. 577 *Pachy̆no* Prisc. per. 480 (falso e Dionys. per. 469. 471) *Tēlesphoro* adv. Marc. III 284 *Thĕŏdŏro* Ven. Fort. c. VI 10, 67 — *amēthysto* Cypr. Ex. 1102. Item nomina primae declinationis, quorum nominativus in *-α* vel *-η* vel *-ας* desinit, nisi Latine per *-ae* dativum non terminant. Quorum quantitatem exhibent inversam *Perdīcae* aegr. Perd. 79 — *căthŏlicae* Prud. per. XI 24. Nomina autem propria per *-ης* terminata [5]), quae ceteris in casibus inter primam et tertiam fluctuant declinationem, omnibus

[1]) In genetivis Latine terminatis falsam praebent prosodiam hi: *Aĕgyptiorum* Cypr. Ex. 510 *Maccabĕorum* Eug. Tol. c. VIII 9 *Nabătaeorum* Apol. Sid. c. V 284 — *idŏlorum* Prud. per. X 431 XIII 94 *māgorum* Prob. cent. praef. 8 Cypr. Ex. 274 *phīlosophorum* Apol. Sid. c. XV 43 Avit. p. IV 498 *prŏtoplastorum* Avit. p. II 35 — *prŏphetarum* Cypr. Num. 256 — *Dānaidum* Paul. Nol. c. XXXI 482 *Nesīdum* Prisc. per. 585 *Pelōpum* Licent. 125 *Pīsīdum* Prisc. per. 808 (perperam quoque *Πῑσιδέων* Dionys. per. 858 *Pīsīda* Avien. descr. 1020) *daĕmonum* Cypr. Ex. 929 *gīgantum* Cypr. Ies. Nav. 415.

[2]) Neue I³ p. 30. 34. — Neumann l. c. p. 70.

[3]) Quam formam pro *Macedonum* adhibuerunt iam priores quoque poetae metri causa. Cf. Neumann l. c. p. 70.

[4]) Neumann l. c. p. 70.

[5]) Zwiener l. c. p. 113. — Housman l. c. p. 252.

locis dativum tertiae declinationis in *-i* desinentem praebent. Appellativum solum *prophetes* dativum primae declinationis praebet.

Dativi tertiae declinationis omnibus locis Latine in *-i* longum desinunt[1]). Falsam prosodiam praebet dativus *Serăpi* Paul. Nol. XIX 100 (sed abl. *Serăpide* 110). Aeque dativus nominum per *-ευς* terminatorum[2]) sermoni Latino adaptatur his locis: *Mosēo* Drac. sat. 17 (*e* vocali porrecta) *Persēō* Apol. Sid. c. VII 81.

Dativi pluralis ubique Latine in *-is* vel *-ibus* cadunt. Propter quantitatem inversam affero dativos *bāsilicis* [*bassilicis* G] Paul. Nol. c. XXVIII 3 *cātholicis* Prud per. XI 30 *idŏlis* Prud. per. XIV 13.

§ 5. De accusativi formis.

1. Nomina alterius declinationis Graece per *-ος* finita in Latino sermone terminationem Graeci accusativi *-ον* multis locis non mutant[3]). Ita Prudentius graecissavit *Pharon* cath. V 82. Eadem terminatione instruxit nomen Hebraicum Ἱεριχώ hoc loco: *Iericon* h. 480, quae forma fortasse a nominativo *Iericos* ducta est[4]).

Cyprianus Graece finivit nomina *Libanon* Ies. Nav. 8 *Eleazaron* Ex. 114 Num. 521 [*-um C*], Victor *arcton* al. III 403, Sidonius *Aeschylon* c. IX 235 *Anthedion* c. IX 312 *Arcton* c. XXII 217 *Caryston* c. XXII 140 *Caucason* c. V 283 XI 95 XXIV 44 *Corinthon* c. II 476 XV 46 *Cottion* c. XXIV 75 *Cronon* c. XV 61 *Cypron* c. XI 108 *Cyzicon* c. II 512 XXII 163 *Dindymon* c. IX 118 *Euhion* c. IX 175 *Lemnon* c. XV 25 *Paron* c. XXII 140 *Pharon* c. VII 93 *Polyphemon* c. IX 160 *Seston* c. V 451

---

1) Neue I³ p. 457. — Luc. Mueller², De re metr. p. 496. — Bednara l. c. p. 357 (45). — Zwiener l. c. p. 68. 163.

2) Neue I³ p. 505 sq. — Sniehotta l. c. p. 23. — Bednara l. c. p. 337 (45). — Zwiener l. c. p. 68. 172. — Neumann l. c. p. 70.

3) Neue I³ p. 191 sq. — Koene l. c. p. 33. — Sniehotta l. c. p. 24 sq. — Bednara l. c. p. 356 (44). — Leimeister l. c. p. 23 sq. — Zwiener l. c. p. 72. 133 sq. — Neumann l. c. p. 41 sq.

4) Cf. Forcellini De-Vit, Onom. Lat. III 501. De *o* vocalis mensura ex versu nihil statuere licet.

— *Troilon* c. V 191 — *barbiton* ep. VIII 9, 14 *chirographon* c. XVI 56 *epodon* c. IX 222, nomen pure Latinum hoc loco: *Trevidon* c. XXIV 32.

Avitus uno graecissavit loco: *Pharon* p. V 63, Paulinus Nolanus *Chronon* c. XXXII 101 *Cronon* c. XXXII 101 *Tantalon* c. XXXI 480 *Tityon* c. XXXI 479 — *cosmon* c. XXXII 195. 197, Sedulius *Arcton* p. c. V 193 *scorpion* p. c. IV 157, auctor carm. de figuris *Lycon* 167 *Oebalon* 167 *Pedason* 167, Martianus Capella *Sirion* 27, 13, Dracontius *Abydon* R. VIII 246 *Paphon* R. VIII 439 *Seston* R. VIII 247 *Tenedon* R. VIII 246, poetae Anthologiae Latinae *Ilion* 367, 1 *epitaphion* 354 (in titulo), Priscianus in periegesi *Bosphoron* 157. 562 *Delon* 549 *Epiron* 396 *Icaron* 607 *Tarson* 816 — *dromon* 297 *isthmon* 425 *noton* 354. 506. 625. 905. 943, Corippus *Seston* Ioh. I 172.

In Latine terminatis dignus est qui afferatur accusativus *elephantum* Ven. Fort. c. II 16, 81.

Nomen Hebraicum Ἰησοῦς omnibus fere locis accusativum Latine formatum exhibet *Iesum*, sed *Iesutem* Cypr. Ex. 1057 (cf. gen. *Iesutis* Cypr. Num. 379).

Neutrorum, quae Graecum exitum *-ον* non mutaverunt, haec inveniuntur: *Delion* Apol. Sid. c. IX 176 XXII 66 *Pelion* Apol. Sid. c. X 2 *Taenaron* Apol. Sid. c. XV 162 — *azymon* Prud. ap. 353 *cinnamon* Apol. Sid. c. IX 325 Drac. laud. dei I 326 Eug. Tol. hex. 210 [*-um* (*-im* ex *-o*) *-u* P][1]) *colon* c. de fig. 8 *hecatombion* Apol. Sid. c. IX 203 (*Criu*) *metopon* Prisc. per. 93. 143. 304 *tetrachordon* Mart. Cap. 48, 18 — *θεῖον* Paul. Nol. c. XXXIII 90.

Restat ut eos afferam accusativos, in quibus poetae a legibus prosodiae severioris aberraverunt. Quod factum est in accusativo Graece terminato *azy̆mon* Prud. ap. 353, in his Latine finitis: *Aĕgyptum* Cypr. Gen. 1281 Ex. 187. 500. 569 (recte Gen. 1435 Num. 532) *Crāgum* Prisc. per. 801 *Cypriănum* Ven. Fort. c. VIII 3, 153 *Ĕgistum* Drac. Or. tr. 257. 802 *Ĕgisteum* Drac. Or. tr. 550 *Iācobum* Cypr. Gen. 897 *Ly̅castum* Drac. R. II 129

[1]) Quamquam codices fluctuant, tamen propter elisionem vitandam Graeca forma certa est.

Pegasēum Paul. Nol. c. X 158 *Sȳrum* Victor. al. II 315 *běryllum* Prud. ps. 855 *paraclĭtum* Prud. cath. V 160 per. X 430 *phīlosophum* c. ad sen. 47 *polȳpodium* Ben. Crisp. XXV 3.

2. Accusativus nominum primae declinationis, quorum nominativus in -ας vel -ης desinit, persaepe Graece finitur [1]).

In nominibus in -ας desinentibus Graecus exitus non minus fere acceptus est quam Latinus. Itaque Graece finivit Prudentius *Hylan* [-*a* R] c. S. I 119 [2]), Victor *Tharan* al. III 321, Sedulius nomen Hebraicum *Barnaban* p. c. V 147, item Paulinus Nolanus haec: *Elian* c. XV 222 [*heliam* BEGRT v, *helian* D] [3]) *Ionan* c. XXIV 195 [-*am* v] 210. 240, Dracontius nomen Graecum *Hylan* R. II 100. 142. 148, Corippus nomina Maurica [4]) *Antalan* Ioh. IV 360. 383 *Ialdan* Ioh. IV 937 *Laguatan* Ioh. I 144 *Tiseran* Ioh. IV 907.

Latine autem apud omnes poetas terminantur nomina Graeca *Aeneam Boream Midam Perdīcam* (*i* vocali producta aegr. Perd. 112. 130 ut ceteri casus) *Mĭthram* (Mart. Cap. 48, 29 *i* vocali correpta) — *boream tiaram* (Apol. Sid. c. II 51 XXIII 254) [5]), Hebraica *Andream Ezechiam Heliam Hermiam Ionam* [6]) *Iudam Lucam Matthiam Thomam Zachariam.*

Hanc Graecam terminationem -αν Victor corripere non veritus est, cum scripsit *Thărăn* al. III 321, quo in nomine paenultima quoque breviata est.

Ea nomina, quorum nominativus per -ης (gen. -ου)

[1]) Neue I [3] p. 88 sq. — Sniehotta l. c. p. 29. — Bednara l. c. p. 355 (43). — Leimeister l. c. p. 7. — Zwiener l. c. p. 79 sq. 145 sq. — Housman l. c. p. 254. — Neumann l. c. p. 45 sq.

[2]) Auctor carm. adv. Marcionitas nomen fluminis Ἰορδάνης subtracta terminatione -ης in modum huius generis nominum finivit hoc loco: *Iordan* II 79.

[3]) Elisionis vitandae causa Graeca reponenda est forma.

[4]) Cf. Partsch, Die Berbern bei Corippus, Satura Viadrina (Festschrift zum 25jähr. Bestehen des philol. Vereins zu Breslau), Breslau 1896, p. 36.

[5]) Graece ὁ τιάρας vel ἡ τιάρα. Sed his duobus locis nomen masculini generis est (*lunatum tiaram*).

[6]) Quod nomen modo tribus stat syllabis bacchei vice *Ĭōnām* d. Ion. 14. 36. 64 [-*an* VT] in fine hexametri, modo duabus syllabis spondei loco *Iōnān* Paul. Nol. c. XXIV 195. 210. 240 *Iōnām* Apol. Sid. c. XVI 26.

terminatur[1]), aut Graecum accusativum *-ην* aut Latinum *-am* vel *-em* exhibent. Apud poetas, de quibus agimus, accusativus tertiae declinationis praevalet ita, ut etiam patronymica *-em* exitum praebeant. Primae declinationis terminationem *-am* nonnulla tantum appellativa exhibent; nominum autem propriorum ne unum quidem secundum hanc declinationem flectitur.

Prudentius Graece scripsit *Persen* c. S. II 562 — *ecclesiasten* per. X 43 *sardonychen* ps. 860, Latine declinavit per *-em Herodem* cath. XII 134 *Iordanem* per. VII 66 *Mithridatem* c. S. II 562, per *-um* appellativum *margaritum* ps. 873 (sed acc. plur. *margaritas* per. X 648).

Victorinus Graece finivit nomen Hebraicum *Mosen* d. m. M. 324, anonymus carm. adv. Marcionitas *Basiliden* I 163, Cyprianus Hebraicum nomen *Moysen* [*-em* A] Ex. 1035, una syllaba auxit formam *Moysetem* Num. 553 (cf. pag. 43), per *-em* terminavit *Iordanem* Gen. 1029 Ies. Nav. 106. 408 D. 2, auctor carminis de providentia divina Graece per *-en* nomen Hebraicum *Mosen* 385, Orientius appellativum *propheten* com. I 413.

Sidonius Graece desinere voluit patronymica *Alciden* [*-an* Ca] c. VI 11 *Amphitryoniaden* [*-em* F] c. XIII 1, haec alia nomina: *Arbacen* c. IX 27 *Euphraten* ep. VII 17, 5 c. II 453 IX 250 *Geryonen* c. XIII 19 *Hydaspen* c. V 284 *Niphaten* c. XXIII 94 *Pyladen* [*-em* C] c. V 288 *Thesbiten* [*-em* P] c. XVI 32 *Xerxen* c. IX 41, Latine declinavit secundum tertiam declinationem *Gangem* [*-en* MC] *Orontem* c. II 93 *Sauromatem* [*-am* T] c. VII 83.

Avitus nisi Graece non terminavit nomina Graeca *Euphraten* p. I 260 *Gangen* p. I 290, Hebraica *Cencren* [*-em β*] p. V 642 *Moysen* p. V 652.

Apud Paulinum Nolanum Graece cadunt *Niceten* c. XXVII 180[2]) — *Mosen* c. XV 224 *Moysen* c. VI 166 XXVI

[1]) Neue I³ p. 48 sq. 90 sq. — Sniehotta l. c. p. 25 sq. 36. — Bednara l. c. p. 356 sq. (44 sq.). — Leimeister l. c. p. 11. — Zwiener l. c. p. 80 sq. 103 sq. 146 sq. — Housman l. c. p. 245. — Neumann l. c. p. 46 sq.

[2]) Praeter hanc Graecam invenitur Latina forma per *-am* terminata *Nicetam* c. XXVII 151. 168. 190. 315. 331, quae ab usitatiore nominativo *Nicetas* aeque ac ceteri casus obliqui formata est (cf. pag. 39).

219, Latine per *-em* flectuntur *Holofernem* [*-en* BDT] c. XXVI 162 *Iohannem* c. VI 7. 58. 191 XIX 78.

Sedulius Graece scripsit *Moysen* p. c. III 285, Dracontius patronymicum *Atriden* [*-em* A] Or. tr. 579. 800, Graeca nomina *Politen* R. X 156 *Pyladen* [*-em* A] Or. tr. 743. In dubium vocari possunt accusativi *Tydidem* [*-en* N][1]) R. IX 73 *Orestem* [*-en* B] Or. tr. 8. 285. Certo per *-em* terminantur patronymica *Aeacidem* R. VIII 192 Or. tr. 817 *Aesonidem* R. X 76 *Alcidem* l. d. III 415 R. II 100 IV 10 Or. tr. 4, haec alia nomina: *Holofernem* l. d. III 480 *Orestem* Or. tr. 309. 582. 643. 865. 888. 893.

Apud poetas Anthologiae Latinae legimus accusativos Graecos *Persen* 21, 104 *Thersiten* 310, 8 *Ulixen* 21, 152, apud Priscianum accusativos Graecos *Bellerophonten* An. 80 *Euphraten* per. 928 *Persen* An. 175 - *catochiten* per. 472 *galactiten* per. 450 *myrrhiten* per. 984 *narcissiten* per. 947 *paeaniten* per. 440, Latinos *Arcesinem* per. 1045 *Iaxartem* per. 726; in carm. de aegritudine Perdicae Latine flectitur *Oedipodem* 126, apud Ennodium Graece *Niphaten* 43, 63, apud Aratorem Latine nomina Hebraica *Ioannem* act. ap. I 624 *Mosem* [*-en* C][2]) act. ap. I 692, apud Corippum Graece *Euphraten* [*-em* S] Iust. III 281 *Mermeroen* Ioh. I 89, Latine *Iohannem* Ioh. I praef. 3 I 303 IV 596. 653. 770 VI 57. 277 VII 34, apud Eugenium Toletanum per *-em* *Iohannem* c. XXI 5, item apud Venantium *Iohannem* c. VIII 3, 143, per *-um* *margaritum* c. III 20, 2. Appellativorum, quae secundum primam Latinam flectuntur declinationem, exstant accusativi *apostatam baptistam patriarcham piratam prophetam sophistam*.

Atque poetae ut ceteris locis sunt licentiosissimi in tractandis nominum quantitatibus, ita etiam horum accusativorum quantitatem immutare veriti non sunt. A Sidonio terminatio Graeca *-ην* breviatur in nomine *Alciděn* c. VI 11. Contra

---

[1]) Latinam formam *Tydidem*, ut elisio fiat, esse reponendam nemo non videt. Difficilius est iudicatu, utrum *Orestem* Or. tr. 8. 285 an *Oresten* sit legendum. Sed quia Dracontius ceteros huius nominis casus obliquos secundum tertiam formavit declinationem (cf. pag. 42), Latinam praefero formam.

[2]) Codicis Cantabrigiensis lectionem *Moysen* praefero, quia huius nominis accusativus apud ceteros poetas nusquam Latinum exhibet exitum.

vocales in universum breves producuntur in nominibus *Holŏfernem* Drac. laud. dei III 480 *Prŏphetam* Damas. ep. I 6 *margăritum* Prud. ps. 873. In accusativo *Iohannem*, quia semper in fine hexametri exstat, *o* vocalem aeque atque in ceteris casibus obliquis corripi necesse erat.

3. Transeo ad accusativos primae declinationis per -$\alpha\nu$ vel -$\eta\nu$ finitos nominativo in -α vel -η desinente. Nomina, quae nominativum -α exhibent[1]), semper fere Latine terminantur[2]); satis raro Graecorum more cadunt. Quam viam ingressus scripsit Prudentius *Orphan* ham. 778 Priscianus (*Leucen*) *Petran* [AB: *Petram*] per. 82 (sed *Leucen petram* per. 357) *Nean* (*polin*) [*neapolim* A, sic vel *neapolin* plures codices familiae B] per. 191.

Multo saepius accusativus Graecus per -$\eta\nu$ terminatus adhibetur[3]). In Latino sermone huic terminationi -$\eta\nu$ syllaba finalis -*am* respondet. Praeter hanc communem terminationem codices nonnullis locis -*em* exitum tertiae declinationis exhibent, quam apud hos poetas, de quibus agimus, interdum esse tolerandam Neuius concedit[4]). Legimus accusativos Graecanice[5]) terminatos apud Prudentium *Hecaten* ap. 460 *Rhododaphnen* ham. 234 [-*em* A] *hecătomben* per. X 1051 (*a* vocali producta) apud Damasum *Ag]nen* ep. XL 2, in carm. adv. paganos *Danaen* [-*in* P] 11, apud Sidonium *Calpen* c. II 365 *Circen* [-*em* P] c. IX 160 *Cytheren* ep. IV 8, 1 *Dionen* [-*em* TPF] c. IX 173 XI 36 [-*em* codd.] *Daphnen* c. XXII 216

[1]) Neue I³ p. 86 sq. — Sniehotta l. c. p. 29. — Bednara l. c. p. 355 (43). — Leimeister l. c. p. 18 sq. — Zwiener l. c. p. 84 sq. 159 sq. — Neumann l. c. p. 49.

[2]) In nominibus Latine terminatis falsam praebent prosodiam *Euphĕmiam* Apol. Sid. c. II 482 *Eufemīam* Ven. Fort. c. VIII 3, 169 (cf. *Eufemīa* nominat. c. VIII 3, 33) *Filimāthiam* Apol. Sid. ep. II 8, 4 *Ĭphīgenĭam* Or. tr. 52 (sed *Ĭphigēnĭa* nominat. Or. tr. 874).

[3]) Neue I³ p. 66—82. — Koene l. c. p. 50. — Sniehotta l. c. p. 25 sq. — Bednara l. c. p. 354 (42) sq. — Leimeister l. c. p. 15 sq. — Zwiener l. c. p. 85 sq. 153 sq. — Neumann l. c. p. 50 sq.

[4]) Neue I³ p. 95.

[5]) Quantitatis vocalium poetae non habuerunt rationem in his nominibus: *plăgam* Cypr. Num. 738 *synāgogam* Cypr. Num. 403 *cātholicam* Prud. cath. praef. 39 ap. 2 c. S. I praef. 59 per. VII 9 Apol. Sid. ep. IV 11, 12.

Hippocrenen ep. IX 13, § 5, 96 *Libyen* [-*em* MTCF] c. VII 588 (sed *Libyam* c. II 487) *Nemeen* [-*em* F] c. V 166 *Paphien* [*em* F] c. XV 64 *Persephonen* [-*em* PF] c. IX 172 *Peucen* [-*em* P] c. V 114 *Pholoen* c. IX 137 *Rhodopen* c. II 34 V 492 XV 20 XXIII 186 *Semelen* c. XV 175 — *palen* [-*ent* P, -*em* T] c. IX 188 [*palē* P] c. XXIII 302 [-*em* P] ep. IX 13, § 5, 69 *thymelen* ep. IX 13, § 5, 69 [1]), apud Paulinum Nolanum *Calpen* [-*em* NVn] c. X 230 *Thessalonicen* c. XVII 20 — ζωὴν c. XXXIII 28 [*somen* N, *omen* edd.] *melen* c. XXIII 168, apud Licentium *Meroen* 60, apud auctorem carm. de ponderibus *chemen* 78, apud Martianum Capellam *Eurydicen* 339, 5, apud Dracontium *Andromachen* R. VIII 154 *Cytheren* R. IX 75 [-*em* N] X 49 *Daphnen* [-*em* N] R. VII 19 *Dionen* [-*em* N] R. VIII 471 [-*em* Nn] X 497 *Euhadnen* Or. tr. 442 *Glaucen* [-*em* N] R. X 426 *Hesionen* [-*em* N] R. VIII 227. 270 [2]), in carm. de aegritudine Perdicae *Cybeben* 29 *Danaen* 45, in carminibus Anthologiae Latinae *Prognen* 228, 1, apud Priscianum in periegesi *Calpen* 334 *Ephyren* 422 *Europen* 15. 21. 76. 651. [3]) 652. [3]) *Iden* [*idem* A, *iaen* pars B] 527 *Laodicen* 857 *Leucen* (*Petran* vel *petram*) 82. 357. 558 *Libyen* 15. 35. 174. 219 (sed *Libyam* 16 elisionis causa) *Peucen* 290 *Phaenagoren* 565 *Prienen* 788 *Sinopen* 899 *Syenen* 231 *Taprobanen* 596 *Thracen* 396 *Thylen* 589, apud Boethium *Eurydicen* III 12, 50, apud Ennodium per -ην terminatur *Syenen* 245, 7, per -*em* tertiae Latinae declinationis *Helicem* 26, 24, apud Corippum Graece declinatur *Libyen* Ioh. VII 212 (sed *Libyam* Ioh. I 111. 124 al.), per -*em* terminatur *Tisiphonem* (*tesiphone* T), Ioh. IV 326, apud Isidorum *Calliroen* X 6, apud Venantium *Agnen*

[1]) In codicibus non satis constat terminatio his locis: *Parthenopam* [-*en* T] c. IX 220 *Penelopam* [-*en* T] c. XV 161. Utra forma sit scribenda, per metrum disceptare non licet; sed Sidonium, ut est terminationum Graecarum sectator avidissimus, Graecam terminationem adhibuisse persuasum habeo.

[2]) Adnoto accusativum Latine cadentem *Alcestam* R. VIII 209 a nominativo *Alceste* (-*a*) ductum, quamquam apud eundem auctorem genetivum *Alcestis* Or. tr. 440 legimus. Cf. Thes. ling. Lat. I 1514.

[3]) In his duobus versibus (651/652) admoneo de anaphora:

651 *Europen fluvio dirimens* . . .
652 *Europen zephyris* . . .

Cf. Drathschmidt, De Prisciani grammatici Caesariensis carminibus p. 66.

c. II 4, 38 XI 3, 10 [*-em* B, *agmen* DRF[1] corr. F[1]], v. M. praef. (in titulo) III 441. 458 *Alpen*[1]) *Pyrenen* c. VI 1, 113.

In nominibus Latine terminatis nonnullos affero accusativos, qui satis miram praebent formam. Cuius generis sunt *Aethiopam* Arator. act. ap. I 699 pro *Aethiopissam* (cf. *Aethiopus* Apol. Sid. c. XI 18) — *Sodomam* Victor. al. III 667. 683. 765 Cypr. Gen. 475. 622. 634 (Graece *τὰ Σόδομα*) *martyram* Ennod. 348, 13. 23, id quod Germanice significat *Märtyrin* — *xeromyrrham* Sedul. h. II 81 (Graece *τὸ ξηρόμυρον*)[2]).

4. Accedamus ad accusativi formas tertiae declinationis. Ac primum quidem saepissime nobis occurrunt accusativi Graecanici in *-α* desinentes[3]). Quae terminatio usitatissima est omnium Graecarum atque ex causis, quae infra fusius tractabuntur, multo saepius adhibetur quam Latina *-em*. Huius generis legimus apud Palladium *Phyllida* 61 in carm. de Iona *aera* 28, apud Prudentium accusativos Graece desinentes *aegida* c. S. II 652 — *aera* h. 381. 816. 849 ps. 305 c. S. I praef. 38 I 425 *aethera* h. 7. 821 c. S. II praef. 11 *cratera* ditt. 26 — *thoraca* h. 423 ps. 126, Latine terminatos *Adonem Simeonem* — *aspidem* — *chalybem chlamydem martyrem*, apud Damasum *aethera* ep. II 11, in Probae centone Vergiliano *aera* 65. 683, in centone, cui est titulus Tityrus *aera* 91, in carm. contra paganos Graecam formam *Acheronta* 119, Latinam *hydropem*, apud Cyprianum *Babylona* Gen. 382 — *aethera* Gen. 725 Iud. 24. 460. 490. 529 et accusativos nominum Hebraicorum *Achusa* Iud. 137 *Archata* Gen. 382 *Asedota* Ies. Nav. 412 *Assura* Gen. 383 *Cadessa* Num. 491 *Chebrona* Num. 326 *Chlauthmona* Iud. 92 *Dagona* Iud. 708 *Elima* Ex 571 *Gabana* Ies. Nav. 273 *Gaidada* Gen. 176 *Galgala* Ies. Nav. 324 *Ematha*

---

[1]) Cf. Priscian. Gr. Lat. II 328, 13 (Keil): *Alpis cum semper plurale sit, . . . tamen et singulariter . . . invenitur a poetis prolatum et in -em accusativum terminans Alpem.* Cf. etiam Thes. ling. Lat. I 1716. Forma *Alpen* propter propinquitatem formae *Pyrenen* et per analogiam huius accusativi formata videtur.

[2]) Cf. Saalfeld l. c. p. 1174, qui formam *xeromyrrham* falsam existimat.

[3]) Neue I[3] p. 458 sq. — Sniehotta l. c. p. 31 sq. — Bednara l. c. p. 358 (46). — Leimeister l. c. p. 34 sq. — Zwiener l. c. p. 89 sq. 97 sq. 163 sq. — Neumann l. c. p. 54 sqq.

Num. 325 *Iazera* Num. 576 *Obetha* Num. 547 *Pharana* Num. 196 *Pythona* Ex. 26 *Samsona* Iud. 673 (sed *Samsonem* Iud. 533. 617. 648); Latine autem finivit vocabulum Graecum *phalangem*.

In carm. de providentia divina exstant nomina Graecanice terminata *aera* 217 *aethera* 328, item apud Victorem *aera* al. I 51. 242. 251. 265. 350. 532 II 499, 524 III 56 *aethera* al. III 249, nomen Latine declinatum *chalybem*, apud Orientium *aera* com. II 4 *aethera* de. tr. 57, apud Sidonium *Amphiona* c. IX 286 *Babylona* c. IX 23 *Dolona* c. IX 152 *Gedeona* c. XVI 16 *Hyperiona* c. VII 576 *Memnona* c. II 521 *Plutona* c. IX 232 XV 99. 191 *Pythona* c. II 153. 311 *Saxona* ep. VIII 9, 21 c. VII 369 *Strymona* c. XXIII 193 — *platanona* ep. VIII 9, 13 — *Phaethonta* c. VII 405 *Tesiphonta* c. II 451 — *Dorida* c. V 461 VII 24 *Elida* c. IX 101 *Laida* [*livida* codd.] c. XV 182 *Maeotida* c. XXIII 248 *Persida* [*perfida* P, *persidam* C] ep. VIII 9, 50 *Phocida* c. XXIII 13 *Ptolomaida* c. VII 95 *Schoeenida* c. XIV 15 *Tritonida* c. XV 179 *aegida* c. XV 25 — *Cyclada* c. VI 10 *Symplegada* c. XI 4 — *Pallanta* c. XV 23 *elefanta* c. II 374 — *Castora* c. V 182 *Cyclopa* c. XXII 3 — *aera* c. XI 112 XV 92 XXII 65. 119 *aethera* c. VII 205 XXII 115 — *delphina* c. XI 43, nomina Latine finita *Alconem Marathonem* — *Creontem* — *Arcadem* — *Aiacem Phrygem aerem chalybem trieteridem*, apud Paulinum Petricordiensem *aera* v. M. IV 91 VI 321 *aethera* v. M. V 591, apud Avitum nomina Graece exeuntia *Deucaliona* p. IV 5 — *Thaumantida* p. IV 625 *lampada* p. VI 468 — *aera* p. III 54 IV 50. 105. 214. 283. 546. 565 *aethera* p. II 43 IV 597 V 427, Latine cadentia [1]) *Pharaonem* — *heroem*, apud Paulinum Nolanum Graeca terminatio his locis: *aedona* c. XI 36 *daemona* c. XXVI 336 — *aera* c. V 41. 85 VI 85 XIX 424 XXVI 186 XXVIII 84 XXXII 171 *aethera* c. VI 77. 133 XVIII 117. 149 XIX 67. 420. 727 XXVI 16 XXVII 366 — *acalanthida* c. XXIII 12 — *martyra* c. XVI 179 [*-em* GR], Latina in nominibus *Charontem* — *Platonem agonem* — *aerem gigantem*, apud Sedulium Graeca forma

[1]) *Hymen* p. I 189 (*festivum dicebat hymen*), proprie vocativum, quasi indeclinabilis esset, accusativi loco usurpavit.

aethera p. c. II 193, Latina *clamidem*, apud Symphosium *aera* 286, 211. 301, in Aviani fabulis *aera* 15, 13 *cratera* 29, 15, apud Martianum Capellam accusativus Latinus *Typhonem*, apud Namatianum *aera* I 246 *aethera* I 403, apud Merobaudem Latina forma *chalybem*.

Permulta nomina eaque omnia fere uno excepto (*Paridem* R. II 119, sed *Parin* R. VIII 443. 606 IX 56) Graece terminata praebet Dracontius. Apud eum legimus *Acheronta* R. IX 127 *Creonta* R. X 427 *Laoconta* R. V 285 — *Agamemnona* Or. tr. 875 *Simona* l. d. III 235 *Telamona* R. VIII 226 — *Astyanacta* R. IX 39. 152. 163. 174. 193 — *Castora* Or. tr. 302 *Hectora* R. VIII 128 IX 55. 64. 76. 156. 162. 174. 189 l. d. III 391 Or. tr. 712. 748 — *Salamina* R. VIII 248 — *aera* R. IX 112 X 168. 566 Or. tr. 844 l. d. I 243. 254. 266. 660. 687 sat. 75 *aethera* l. d. I 568 II 160, in carm. de aegritudine Perdicae *aera* 4, apud poetas Anthologiae Latinae *Bellerophonta* 388, 2 — *aethera* 324, 3, apud Priscianum in periegesi accusativos Graecos *Babylona* 938 *Sidona* 854 *Teredona* — *Phaethonta* 281 — *Carmanida* 604 *Caspida* 724 *Chalcida* 523 *Corsida* 471 *Elaida* 852 *Maeotida* 23 *Orthosida* 856 *Patareida* 537 *Salmonida* 113 *Saronida* 424 *Sirenida* (rupem) 354 *lampada* 345 — *adamanta* 311. 1019, Latine declinatum *Atlantem*, apud Ennodium Graecum *rhetora* 234, 8, Latinos *Myronem* — *lyncem*, apud Aratorem accusativos Graecos *Salamina* act. ap. II 5 — *aethera* act. ap. I 68. 343 II 163. 550, apud Benedictum Crispum Latine declinatum *thoracem*.

Pluribus locis Graecam terminationem adhibuit Corippus: *Charona* [1]) Ioh. IV 325 *Nasamona* Ioh. VI 593 *Solomona* Ioh. IV 382 — *Hectora* Ioh. praef. 8 — *Titana* Ioh. VI 457 — *aera* Ioh. I 446 II 257 III 113 IV 354. 369 VIII 13. 345 Iust. III 202 *aethera* Ioh. II 171. 230 VI 484 VIII 311. 335. 449 Iust. I 296 III 43; Graecis terminationibus affecit nomina Maurica [2]) *Burcanta* Ioh. VII 428 *Calamena* Ioh. VIII 407 *Sacoma* Ioh. VIII 594; Latine scripsit *Pelopem*.

Eugenius Toletanus Graece desinere voluit *Persida*

---

[1]) Quod nomen plerumque audit *Charon, -ontis.* Cf. Georges I 1038.

[2]) Cf. Partsch, Satura Viadrina p. 36.

hex. 205 *tricterida* c. XCVI 3 — *aera* h. 126. 136. 148. 568 sat. 69 *aethera* h. 450. 542 c. X 5 LVI 2, Venantius Fortunatus appellativa *aera* c. VI 5, 180 v. M. I 247. 290 III 85. 425 IV 164 *aethera* c. III 9, 53. 23a, 1 IX 2, 3 VII 6, 1 app. c. XXIX 3 v. M. I 1 II 323 IV 33 — *lampada* c. VII 6, 3 — *thoraca* c. VII 12, 113 v. M. III 399, Latine flexit *Cycladem* — *chlamydem gigantem martyrem*; mentionem denique facio accusativi *elephantum* c. II 16, 81.

Interdum accusativi singularis *aera aethera*[1]) ab his iam vergentis Latinitatis poetis neutrius pluralis loco adhibentur. Itaque hae formae nominativi pluralis sunt his locis: *aera* Orient. comm. I 114 Ven. Fort. c. IX 1, 141 v. M. II 322 *aethera* Victor. al. I 154 Eug. Tol. c. LXXII 1 Ven. Fort. c. III 9, 7; accusativi pluralis his locis: *aera* Ven. Fort. v. M. II 125 *aethera* Ven. Fort. v. M. II 345 III 424 (sed c. III 9, 53. 23a, 1 accusativus singularis esse potest) Cypr. Ex. 416.

Restat ut quaeramus, quomodo poetae in syllabarum quantitatibus tractandis ab auctoribus probatissimis declinaverint. Ac primum quidem correptionem vocalium longarum admiserunt hisce locis: *Tĕsiphonta* Apol. Sid. c. II 451 *Lăoconta* Drac. R. V 285 — *Tўphonem* Mart. Cap. 48, 29 *ăerem* Apol. Sid. c. XV 88 (recte *āerem* Paul. Nol. c. XXIV 869 in senario) *hўdrŏpem* contr. pag. 121. Contra productarum syllabarum, quae primitus sunt breves, haec inveniuntur exempla: *Sīmona* Drac. l. d. III 235 — *cyclādem* Ven. Fort. c. VIII 3, 271.

5. Quibus pertractatis sequitur ut de reliquis accusativi formis verba faciam. Ea nomina, quorum nominativus Graece in -ευς exit[2]), accusativum aut Graece per -εα aut rarius Latine per *-e͡um* vel *ĕŭm* terminatum exhibent.

Graece declinantur accusativi *Lyncea* Namat. I 611 *Men-*

[1]) Neue I³ p. 977. — Thes. ling. Lat. I 1046 sq. 1149 sq., ubi non omnia exempla enumerantur.

[2]) Neue I³ p. 470 sq. — Sniehotta l. c. p. 51 sq. — Bednara l. c. p 357 (45). — Leimeister l. c. p. 27 sq. — Zwiener l. c. p. 103 p. 172. — Neumann l. c. p. 56.

oceēa Drac. l. d. III 261 [1]) *Nerēā* Prob. cent. 84 *Nerea* [1]) Mart. Cap. 341, 24 *Orphea* Apol. Sid. c. XVI 2 *Persea* Apol. Sid. c. IX 174 *Protea* Licent. 18 *Salmonea* Drac. l. d. III 239 *Thesea* Apol. Sid. c. V 288 Drac. R. VIII 604 Or. tr. 536.

Latinum exitum praebent accusativi *Orpheum* Apol. Sid. ep. VIII 11, 19 *Orphĕum* Drac. R. I 1 *Prometheum* Ennod. 186, 7 *Theseum* Apol. Sid. c. XXIV 29.

Nomen *Achilles* ubique accusativum *Achillem* (semel *Achillen* Or. tr. 535) praebet.

Iam pervenimus ad accusativum per -ιν terminatum [2]). Quam terminationem genuinam plurimis locis servatam aut rarius cum Latina *-im* vel *-em* mutatam esse videmus. Eandem syllabam finalem *-ιν* vel *-im* interdum ea quoque nomina praebent, quorum genetivus Graece in -ιδος, accusativus in -ιδα cadit. Itaque legimus Graeca terminatione praedita nomina *Apin* Apol. Sid. c. IX 184 *Attin* Prud. c. S. II 52 c. contr. pag. 109 *Baetin* Apol. Sid. c. IX 297 (*Nean*) *polin* Prisc. per. 191 *Parin* Drac. R. IX 56 VIII 443. 606 (sed *Paridem* R. II 119 VIII 588) *Serăpin* [3]) Mart. Cap. 48, 28 (sed *Serăpen* Prud. c. S. II 868) *Syrtin* [*-im* AB] Prisc. per. 109 *Tanain* Merob. pan. II 1 Prisc. per. 661 *Thespin* Apol. Sid. c. IX 236 *Thetin* Drac. R. II 34 *Theudosiupolin* Coripp. Ioh. I 70 *Thybrin* Merob. pan. II 7 *Tigrin* Avit. p. I 260 — *hĕresin* Prud. h. 64 *prophetin* [*-en* C *-ent* BA [1]] Cypr. I. 215 [4]).

In modum horum nominum Sidonius nomina fluviorum Germanicorum terminavit, cum scripsit *Albin* c. XXIII 244 *Visurgin* c. XXIII 244.

In codicibus non satis constat Graeca terminatio his locis: *Osirim* [*-in* m) Prud. c. S. I 629 *Tigrim* [*-in* C] Apol. Sid. c.

[1]) Hae duae formae *e* vocalem longam exhibent ad exemplum fortasse Vergili *Ilionēa* Aen. I 611 *Idomenēa* Aen. III 122. Cf. Neumann l. c. p. 56.

[2]) Neue I [3] p. 477 sqq. 361 sq. — Sniehotta l. c. p. 29 sq. — Bednara l. c. p. 358 (46). — Leimeister l. c. p. 34 sq. — Zwiener l. c. p. 89 sq. 166 sq. — Neumann l. c. p. 52 sq.

[3]) Duobus locis *a* vocalis contra consuetudinem corripitur.

[4]) Eadem terminatione instruuntur accusativi nominum Hebraicorum, quae in universum declinari non possunt, hi: *Cherubin* Hilar. Pict. 46 *Levin* Prud. ap. 1011 *Noemin* Prud. h. 779 *Seraphin* Hilar. Pict. 46 — *theraphin* Cypr. Iud. 27. 744.

II 453 — *mathěsim* [-*in* C] Apol. Sid. c. V 130 (*e* vocali correpta).

Certo Latine flectuntur per *-im* formae *Hypanim Irim Lachesim Memphim Osirim* (*i* vocali secundae syllabae correpta carm. contr. pagan. 100) *Pentapolim* — *iaspim pristim*, per *-em Anubem*[1]) Prud. ap. 196 Ven. Fort. v. M. II 164 IV 170 — *charybdem*[2]) Prud. cath. VI 107 c. S. II 900.

Graecum nomen Ἐλευσίς, -ῖνος accusativum praebet *Eleusin* Apol. Sid. c. IX 176 XXII 176.

Nomina, quorum nominativus in *-υς* (gen. *-υος*) desinit[3]), accusativum Graecanicum *-υν* plerumque servant. Nomen *Tethys* tantum accusativum per *-ya* flexit *Tethya* Prisc. per. 579[4]). Incerta est forma *chelym* Paul. Nol. c. XXII 9, de qua iam apud priores poetas interdum est dubitatio. Sed hanc *-ym* terminationem a librariis falso esse illatam, quia nusquam in declinatione Latina invenitur, cum Zwienero (p. 94) existimo.

Graecam *-yn* terminationem invenimus his locis: *Libyn* Prud. c. S. II 686 *Othryn* Apol. Sid. c. V 236 [*orthim* F] — *chelyn* Apol. Sid. [-*in* T -*im* MCFP] ep. VIII 9, 9 c. I 16 II 310 XVI 3 XXIII 190 [-*in* TF -*ion* C -*im* P] Mart. Cap. 33, 5. 339, 22.

Accusativus nominum, quorum nominativus in *-ης* (gen. *-ους*) exit[5]), semper Latine per *-em* secundum tertiam declinationem finitur velut *Diogenem Ganymedem Socrātem* (Maxim. el. I 48 *a* vocali contra consuetudinem producta, cf. *Socrātus* Paul. Pell. euch. 73).

Accusativus Graece in *-ων* (nom. *ως*) desinens, qui apud Graecos praeter accusativum *-ω* in usu fuit[6]), invenitur

[1]) Cf. Thes. ling. Lat. II 193.

[2]) Cf. Thes. ling. Lat. Suppl. fasc. I 382.

[3]) Neue I³ p. 480. — Sniehotta l. c. p. 30 sq. — Bednara l. c. p. 358 (46). — Leimeister l. c. p. 40. — Zwiener l. c. p. 94 sq. 172 sq. — Neumann l. c. p. 59 sq.

[4]) Cf. Georges II 2776. — Luc. Mueller², De re metr. p. 497. — Neumann l. c. p. 57.

[5]) Neue I³ p. 472. — Sniehotta l. c. p. 36 sq. — Zwiener l. c. p. 111 sq.

[6]) Neue I³ p. 210. 493. 526. — Sniehotta l. c. p. 33 sq. — Zwiener l. c. p. 96 sq. 174. — Neumann l. c. p. 60.

hoc loco: *Athon* Apol. Sid. c. IX 74 [1]). Fortasse huc referendus est accusativus nominis Hebraici *Gabaon* Sedul. p. c. I 163 (*Γαβαώ*).

Nomina feminini generis, quorum nominativus in *-ω* exit [2]), hanc eandem terminationem in accusativo formando exhibent. Cuius generis sunt: *Alecto* Coripp. Ioh. IV 327 *Calypso* Apol. Sid. c. IX 162 et nomen Hebraicum *Hiericho* Cypr. Ies. Nav. 140 D. 4.

Item neutra per *-ος* finita [3]) nominativi rationem sequuntur et accusativum semper fere Graecanico modo terminant. Exstant vocabula *chaos* Prud. cath. IX 81 c. S. II 903 ap. 823 h. 44 Victorin. d. m. M. 302 Avit. p. III 293 IV 160. 554 Paul. Nol. c. XXII 151 XXXII 169 Sedul. p. c. I 121 IV 148 Mart. Cap. 341. 28 Drac. Or. tr. 483. 784 l. d. I 23 II 13. 203. 549 de mens. 7 Maxim. V 110 Ennod. 2, 10 Arator. act. ap. I 730 II 768 *epos* Apol. Sid. ep. IX 15, 19 c. XXIII 450 *ethos* Apol. Sid. c. XV 101 *melos* Prud. cath. V 123 Apol. Sid. ep. IX 13, 7. 14, 9 c. I 14 Mart. Cap. 33, 20. 343, 3. 12. 21. 344, 3. 8. 29 Drac. R. I 5 VI 69 VII 30 Anth. Lat. 316, 1. 370, 2 Ennod. 26, 14 Arator. ep. ad. Parth. 50 Eug. Tol. c. XXXIII 16 Ven. Fort. c. VII 12, 30 X 9, 52.

Latinorum autem ori adaptantur accusativi *crebum* Mart. Cap. 339, 30 *melum* Ven. Fort. c. VII 8, 28. Nomen *pelagus* omnibus locis accusativum Latino modo formatum exhibet *pelagus*, cuius syllaba finalis mire producitur in hoc versu Cypriani (Gen. 312): *mittitur in pelagūs ales* . . .

Saepius exstant accusativi neutrius generis Graece et Latine per *-a* finiti. Prosodiae severioris leges laesae sunt in his: *axiŏma* Mart. Cap. 98, 9 *chārisma* Prud. ap. pr. 11 *diastĕma* Sid. Apol. c. XV 64 *energĭma* Prud. ap. 400 *problĕma* Ven. Fort. v. M. III 44.

[1]) Huius *o* vocalis mensuram cognoscere non licet, quia hoc nomen finem explet versus. Corripitur apud Vergil. Georg. I 332 Val. Flacc. Arg. I 664.

[2]) Neue I [3] p. 481 sq. — Sniehotta l. c. p. 31. — Leimeister l. c. p. 32. — Zwiener l. c. p. 97. — Neumann l. c. p. 60.

[3]) Zwiener l. c. p. 95. 173. — Neumann l. c. p. 60.

Vox *pascha* praeter hanc accusativi formam communem etiam secundum primam declinationem flexam praebet *pascham* c. adv. Marc. II 80. 85. 120 (cf. p. 46).

Denique mentionem facio nonnullorum litterarum nominum indeclinabilium accusativi loco adhibitorum: *sigma* Apol. Sid. c. XVIII 6 Paul. Nol. c. XIX 621 *tau* Paul. Nol. c. XIX 624 *theta* Apol. Sid. c. IX 335 Eug. Tol. app. XXVIII 1 *Φ* Paul. Nol. c. XIX 622 [*ω* AD, *ο* E] *P* Orient. de trin. 76 *α ω* Sedul. p. c. III 288.

6. Accusativus pluralis nominum, quae primam alteramve declinationem sequuntur, semper Latine in *-ōs* [1]) vel *-ās* [2]) desinit; neutra alterius declinationis Graece et Latine per *-a* finiuntur. Exempli causa ea affero nomina, quae vitia praebent prosodiaca: *Mĕandros* Prud. cath. VII 142 — *coos* Cypr. Gen. 1246 *gelāsianos* Apol. Sid. c. XXIII 301 *idōlicos* Paul. Petr. v. M. VI 199 — *Malēas* Drac. R. VIII 247 — *Thāletica* Apol. Sid. c. XV 89 (cf. *Thāles* XV 44. 79) — *cyānea* Prud. ps. 858 *idōla* passim *trōpaea* Cypr. Ies. Nav. 293 *phȳsica* Apol. Sid. c. XV 104 *prōphetica* adv. Marc. III 129.

Accusativi autem tertiae declinationis aut Latine per *-ēs* aut persaepe Graece per *-ăs* terminantur [3]). Quam rationem secutus Prudentius formas servavit Graecas *Dryadas* c. S. I 303 *Maenadas* c. S. I 134 — *gigantas* h. 499 — *Senonas* [4]) c. S. II 688 *daemonas* cath. I 37 per. X 920 — *Nestoras* per. X 408 *heroas* h. 283 *sphragitidas* per. X 1076 *tripodas* ap. 439, retinuit Latinas *martyres phalanges* — *hĕreses* (cath. praef. 39).

[1]) Haec terminatio *-ŏs* hoc uno loco corripitur: *archangelŏs* Orient. de trin. 69. R. Ellis in apparatu critico coniecit hanc formam nominativum Graecanicum esse singularis, id quod propter sequens *omnes* falsum existimo. Confer in eodem carmine accusativum pluralis *martyrĕs* 129.

[2]) Adnoto accusativum *catastas* Prud. per. I 56 e nominativo Graeco *κατάστασις* formatum (cf. p. 45 adn. 2).

[3]) Neue I³ p. 486 sqq. — Sniehotta l. c. p. 35. — Bednara l. c. p. 359 (47). — Leimeister l. c. p. 28. 32. 36. 41. — Zwiener l. c. p. 104 sqq. 169 sq. — Housman l. c. p. 262. — Neumann l. c. p. 60 sqq.

[4]) Mirum in modum Prudentius huius populi Galliae nomen Graece finivit. Sed iam saepius vidimus barbara nomina Graecanico modo declinari. Cf. Luc. Mueller², De re metr. p. 498.

Proba in centone Graece scripsit *tripodas* 16, auctor carminis contra paganos *Pănas* (*a* vocali primae syllabae correpta) 70, anonymus carminis adv. Marcionitas Latine *geneses*; Cyprianus usum Graecorum secutus est in accusativis *Aethiopas* Gen. 61 — *lampadas* Iud. 339. 604, auctor carminis pe providentia divina in his: *gigantas* 331 *lyncas* 142; Latine autem scripsit Orientius *martyrĕs* (de trin. 129)[1].

Sidonius accusativos Graece desinere voluit hos: *Cycladas* c. II 460 *Ephyreiadas* c. XV 146 *Pipliadas* c. X 17 — *Bassaridas* c. IX 209 XXII 37 *Naidas* c. XXII 17 *Rhodanitidas* (urbes) ep. IX 13, § 5, 114 *heroidas* c. II 501 [*-es* codd.][2]) — *Chaonas* c. V 427 *Laconas* c. XXIV 26 *daemonas* ep. VII 17, 12 — *Aethiopas* c. II 92 *Cyclopas* c. XXIII 201 *grypas* ep. VIII 9, 10 c. XXII 67 II 307[3]) — *Panas* c. XXII 37 *Sirenas* c. IX 163 — *Curetas* c. IX 206 *lebetas* c. V 227 *tapetas* c. XXIII 427 *trapetas*[4]) c. II 107 — *Cilicas* c. II 462 *phalangas* c. IX 125 — *antipodas* c. IX 19 *tripodas* ep. VIII 9, 9 IX 13, § 5, 60 c. XXII 79 — *heroas* c. II 501 — *martyras* ep. IX 16, 63, Latine hos: *Bistonides chlamydes* — *Syrtes tigres*.

Avitus Latine declinavit *Syrtes* — *gigantes*, Paulinus Nolanus Graece *Aethiopas* c. XXVIII 251 [*es* BGR] — *Eumenidas* c. XXXI 478 — *daemonas* c. XIV 24 XVIII 99 XIX 232 XXII 142 XXIII 46. 49. 224 XXVI 325 [*-es* BT] — *martyras* c. XIX 51. 323 XXI 129, Sedulius Graece: *daemonas* [*-es* FS] p. c. IV 92, Licentius: *Arabas* 124 *Phrygas* 126, Martianus Capella: *delphinas* 339, 26, Dracontius Graece: *Naidas* R. VII 35 *Ōreadas* R. VII 35 (*o* vocali producta) — *Troas* R. VIII 400 (sed *Troes* Or. tr. 368) — *tripodas* Or. tr. 274, Latine *Bybliades Dryades* — *Phryges* — *Tritones Troes* — *Carales*; poetae Anthologiae

[1]) Hoc loco *e* vocalis corripitur. Cf. acc. plur. *archangelŏs* de trin. 69.

[2]) Propter *heroas* formam, quae in eodem exstat versu, *heroidas* legendum est.

[3]) Fortasse huc referendus est accusativus *satrapas* c. IX 55 XXIII 252, quia poeta nominativum *satraps* c II 78 adhibuit, non *satrapes*, *-ae*. Cf. Saalfeld l. c. p. 990.

[4]) Ablativus autem *trapetis* c. XXIII 47 a nominativo *trapetum* vel *trapetus* ductus est.

Latinae Graece terminaverunt *Arabas* [-*os* A] 21, 104 — *antipodas* 318, 6 *tripodas* 254, 6, Latine *Chalybes lynces* — *Seres*.

Priscianus duobus appellativis *elephantes* [1]) *grypes* exceptis Graece declinavit. Legimus in periegesi *Abantas* 534 — *Cycladas* 130. 549 *Echinadas* 448 *Sporadas* 550 — *Absyrtidas* 515 *Amazonidas* 748 *Liburnidas* 518 *boreotidas* 577 — *Laconas* 410; huc accedunt formae *Sardis* 961 *Syrtis* 190, quae a Graecis per -εις terminatur.

Maximianus Latine dixit *gigantes* — *tigres*, Ennodius Graece *aspidas* 194, 1 — *tripodas* 43, 14, Arator Graece *Ephemeridas* ep. ad Parth. 40, Latine *syrtes*, Benedictus Crispus Graece *meningas* III 1.

Apud Corippum occurrunt haec nomina Graece flexa: *phalangas* Ioh. I 78. 511 II 49 III 179 (sed *phalanges* Ioh. IV 622 VI 52. 62. 657 Iust. I 279) — *tapetas* Iust. III 261 — *tripodas* Ioh. III 85, Latine declinata praeter *phalanges* haec: *Gigantes* — *Marmarides* — *leones* — *Syrtes bāses* (*a* vocali producta Iust. IV 60) *tigres*.

Venantius denique Gallici nominis *Allobrox* accusativum Graece flexit hoc loco: *Allobrogas* [-*es* GF] c. III 7, 18 app. VI 6 [2]), Latine autem declinavit [3]) *melodes* (c. IX 7, 13 = μελῴδεις = cantus) — *falanges*.

In nominibus Graece finitis nonnulla sunt, quorum terminatio -*as*, quae brevem *a* vocalem praebet, producitur. Quod valet de his: *Cilicas* Apol. Sid. c. II 462 *Pipliadas* Apol. Sid. c. X 17 *heroas* Apol. Sid. c. II 501 *tripodas* cent. Prob. 16 Apol. Sid c. XXII 79. In his excusantur formae *Cilicas heroas*, quia

[1]) Utramque flexionem praebet. Etenim scripsit secundum alteram declinationem flectens *elephantos* per. 1028, secundum tertiam *elephantes* per. 596 (gen. *elephantis* per. 1017).

[2]) Huius nominis accusativum singularis Graece finivit Iuvenalis VII 214, nominativum pluralis per *ĕs* Ausonius ord. nob. urb. 110. Quas formas e lingua Celtica provenisse putat Guilelmus Schulze, Zur Geschichte lat. Eigennamen, Berlin 1904, p. 5. Idem valet de accusativo *Rhodanitidas* Apol. Sid. ep. IX 13, § 5, 114.

[3]) Hoc loco affero accusativum adiectivi *Aethiopos* (*vapores*) Ven. Fort. c. V 2, 9 (cf. p. 15).

h littera quae sequitur his temporibus, ut iam supra dixi, consonantis vim interdum obtinet et positionem efficit. In forma deinde *tripodas* id alicuius momenti fuit, quod praeter nominativum usitatiorem *tripus* etiam forma *tripoda, -ae* ab accusativo Graeco exiens invenitur.

Neutrorum tertiae declinationis ea, quae accusativum singularis per *a* terminant, Graece et Latine in *a* cadunt. Propter quantitatem inversam affero *chărismata* Prud. c. S. II 1046 *ěnigmata* Prud. ap. 331 *nōmismata* Ven. Fort. v. M. II 337.

Ea autem nomina, quorum nominativus singularis in -ος exit [1]), plerumque accusativum Graece per -η terminant. Itaque legimus *tempe* Prisc. per. 858.

§ 6. De ablativi formis.

His casibus perlustratis restat ut de ablativi formis verba faciam. Cui casui quamquam nullus in lingua Graeca respondet, tamen poetae interdum Graecum dederunt exitum. Nomina primae et alterius declinationis per *-ος -ον* vel *-α -ας* terminata ablativum Latine per *-ō* vel *ā* finiunt [2]).

Nominum autem primae declinationis in -η exeuntium ablativum Graece in -ῃ desinentem [3]) servant haec: *Dione* Drac. R. VI 21 VII 153 *Hippocrene* Apol. Sid. c. IX 285 *Lyde* Mart. Cap. 298, 6 *Mytilēnĕ* (*e* vocali finali correpta) Apol. Sid. c. XV 49 *Persephone* Anth. Lat. 338, 8 *Pyrene* Prisc. per. 680 — *harpe* Apol. Sid. c. VII 35 (sed *harpĕ e* vocali correpta c. XXIII 297) *pentecoste* Ennod. 344 (in titulo).

Ea nomina, quorum nominativus in *-ης* (gen. *-ου*)

---

[1]) Neue I³ p. 484 sq. — Zwiener l. c. p. 107. — Neumann l. c. p. 60.

[2]) Falsam prosodiam hi praebent ablativi: *Aĕgypto* Cypr. Ex. 445 Ies. Nav. 48 Lev. 228 Num. 703 (recte Ex. 585) *Ĕgisto* Drac. Or. tr. 577 *Pegasĕo* Drac. R. X 29 *Pĕgāseo* Ennod. 423, 6 (cf. *Pĕgăsea* voc. 257, 6) *Pherecrātio* Apol. Sid. ep. IX 13, 10 — *cātholico* Prud. ps. 107 Ven. Fort. c. VI 1 a, 29 *idŏlico* Paul. Petr. v. M. II 279 — *Memphĭtica* Coripp. Iust. III 16 *cātholica* Prud. ap. 291 *synāgoga* Cypr. Lev. 103.

[3]) Neue I³ p. 96 sqq. — Sniehotta l. c. p. 23. — Leimeister l. c. p. 12. 16 sq. — Zwiener l. c. p. 68. 158. — Neumann l. c. p. 70.

cadit, modo ablativum primae, modo tertiae declinationis in *ĕ* desinentem praebent[1]), id quod neminem offendet, quia horum nominum ceteri quoque casus obliqui plerumque tertiam sequuntur declinationem. Nonnulli tantum ablativi *e* vocalem finalem productam exhibent; quem ablativum primae inserendum esse declinationi cum Luciano Mueller[2] (De re metr. p. 492) existimo, quia hic ablativus Graeco dativo primae declinationis in -*η* exeunti respondet.

Per *a* finiuntur ablativi *Geta exorcista propheta*; *e* longum terminationis praebent *Aeacide* Drac. Or. tr. 624 *Mose* Victorin. d. m. M. 315 *Moyse* Eug. Tol. sat. 17, *e* correptum tertiae declinationis exhibent nomina *Gerȳone* (*y* vocali producta) Apol. Sid. c. XIII 13[2]) *Iordane* Prud. cath. II 64 adv. Marc. (*a* vocali correpta) III 165 V 221 Cypr. Ies. Nav. 25 Paul. Petr. v. M. IV 253 *Pȳlāde* (*y* et *a* vocalibus productis ut ceteris in casibus) Drac. Or. tr. 535 *Ulixe* Ven. Fort. c. VII 12, 16. Ceteris locis de *e* vocalis finalis mensura nihil certi dicere licet.

N o m i n a t e r t i a e d e c l i n a t i o n i s[3]) in *-is* cadentia, quorum genetivus Latinus nulla syllaba crescit, ablativum per -*i* terminant[4]). Ita finita legimus nomina *Baeti* Paul. Nol. c. X 236 *Constantinopoli* Prosp. d. i. 62 *Genesi* Paul. Nol. c. XXVII 607 — *lexi* c. de fig. 1 *phrenesi* Bened. Crisp. III (in titulo) *scyrosi* Bened. Crisp. XIII 1; sed etiam Graeci vocabuli ἐχενηίς, -ίδος ablativum E u g e n i u s T o l e t a n u s *i* terminatione instruxit hoc loco: *echenai* c. 51 (in titulo); per *e* autem finiuntur *Parrhase* Apol. Sid. c. V 473 *chrȳsoprāse* Ven. Fort. v. M. III 468 (falsa prosodia) *pistre* Apol. Sid. c. XI 41.

Syrtis[5]) nomen, cuius genetivus Graecus Σύρτιδος vel

[1]) Zwiener l. c. p. 70. — Leimeister l. c. p. 12. — Neumann l. c. p. 70.

[2]) Hic ablativus etiam a nominativo *Geryon* ductus esse potest, quem praeter nominativum communem *Geryones* in usu fuisse tradit Varro l. l. IX 51, 90. Cf. Neue I[3] p. 857.

[3]) Ex ablativis tertiae declinationis in *e* desinentibus falsam praebent mensuram *Phaedōne* Apol. Sid. ep. IX 13, 10 *Phoenīce* Drac. l. d. I 326 *diplōide* Ven. Fort. c. V 6, 4.

[4]) Neue I[3] p. 348 sq. — Zwiener l. c. p. 71. — Neumann l. c. p. 71.

[5]) Georges II 2690. — Zwiener l. c. p. 118.

Σύρτεως est, ablativum praebet *Syrte* Apol. Sid. c. II 124 V 264. 549 XVII 13.

Graecum nomen *Γοργώ* ablativum a nominativo recentiore *Gorgon* ductum praebet his locis: *Gorgone* Apol. Sid. c. XI 88 XV 23 Drac. R. X 599 Coripp. Ioh. I 457.

Mentionem denique facio ablativorum *delphine* Drac. R. VII 151 et *catasta* Prud. per. II 399 X 467 (cf. p. 45 adn. 2. 62 adn. 2).

Neutra per *-ος* finita ablativum alterius declinationis in *-ō* desinentem praebent, quasi nominativus *-us* esset. Saepissime legimus ablativum *pelago*. Praeterea exstant *chao* Prud. cath. XII 40 ap. 750 h. 926 c. S. II 96 per. III 55 Avit. p. III 48 Paul. Nol. c. XXXI 474 Sedul. p. c. I 103 *melo* Mart. Cap. 33, 29. 339, 14 Ven. Fort. c. III 9, 30. 22, 4 VII 1, 7. 12, 112.

Neutrorum, quorum nominativus Graece et Latine in *-a*, ablativus Latinus in *-ate* velut *chrismate*[1]) desinit, nonnulla in ablativo formando primam sequuntur declinationem aeque atque in genetivo et accusativo fingendo. Huius generis sunt: *celeuma* Ven. Fort. v. M. IV 423 *manna* adv. Marc. IV 116 *pascha* Paul. Pell. euch. 475 Ven. Fort. c. III 9 (in titulo) *scism/a* Damas. ep. XXXVII 2.

Ablativus pluralis ubique Latine terminatur: *Athenis Oceanis*[2]) — *prophetis* — *Phrygibŭs*.

§ 7. De nominibus quibusdam dubiis et heteroclitis[3]).

Nonnulla nomina Graecum „genus declinandi variaverunt et cum aliquo Latino commutaverunt“. (Zwiener p. 107.)

1. Quorum primum afferatur Graecum nomen *ἐλέφας*[4]). Ac priscam nominativi formam *elephas* servatam videmus a Sidonio (c. II 55) et a Benedicto Crispo (XII 17); forma *elefans* exstat

[1]) Falsa prosodia invenitur in his: *chărismate* Prud. per. XIII 61 *mălagmate* Ven. Fort. c. II 4, 15.

[2]) Quantitate inversa haec inveniuntur nomina: *Memphĭticis* Coripp. Iust. III 16 *Mĕthymnaeis* Coripp. Iust. III 96 — *bĕryllis* Ven. Fort. c. VIII 3, 263 *ĕthicis* Prud. h. 581 *syllŏgismis* Apol. Sid. c. II 175.

[3]) Sniehotta l. c. p. 36. — Zwiener l. c. p. 107. — Neumann l. c. p. 71.

[4]) Zwiener l. c. p. 108. — Neue I³ p. 234. 416. 486. 493. — Leimeister l. c. p. 39. — Georges I 240.

in Anthologia Latina (301, 5. 353, 11) et apud Ennodium (340, 3). Ab hoc nominativo ductae sunt formae hae: gen. *elephantis* Prisc. per. 1017, acc. *elefanta* Apol. Sid. c. II 374, acc. plur. *elephantes* Prisc. per. 596. Mutatae autem et communis formae *elephantus*, quae per omnia duravit tempora, hos invenimus casus: acc. sing. *elephantum* Ven. Fort. c. II 16, 81, nom. plur. *elefanti* Apol. Sid. c. XXII 58, acc. plur. *elephantos* Prisc. per. 10. 28. Duplici igitur ratione terminandi usi sunt Sidonius et Priscianus.

2. Nonnulla nomina, quorum stirps Graeca in consonantem exit, praeter hanc communem formam etiam nominativum a Graeco accusativo per *-a* terminato exeuntem h. e. *a* vocali auctum praebent. Tali modo formae mutatae flexionem nominum primae sequuntur declinationis [1]).

Cuius generis sunt nominativi appellativorum hi: *lampada* Cypr. Ex. 248. 550 Ennod. 245, 20. 388, 93 *statera* Ven. Fort. c. II 6, 22 VII 6, 23 *thoraca* Ennod. 452, 16, nominum propriorum Graecorum hi: *Colofona* Ven. Fort. v. M. II 81 *Lacedaemona* Anth. Lat. 351, 3 *Laida* Anth. Lat. 374, 1 *Persida* Ven. Fort. c. VIII 3, 149, Hebraicorum *Chebrona* Cypr. Iud. 23 *Dasemata* Cypr. Gen. 385 *Samsona* Cypr. Iud. 695 *Sebona* Cypr. Gen. 373 *Sidona* Cypr. Gen. 368 *Symeona* Cypr. Gen. 1341, genetivi *Babylonae* Drac. sat. 31 *Gorgonae* Prud. per. X 278, accusativi pluralis *crepidas* Apol. Sid. ep. VIII 11, 9 c. II 403 *hebdomadas* Paul. Nol. c. XXVII 61 *tripodas* cent. Prob. 16 Apol. Sid. c. XXII 79, fortasse *Pipliadas* Apol. Sid. c. X 17, nisi has terminationes arsis vi productas esse existimabimus.

3. In nominibus *Achillis* et *Ulixis* [2]) declinandis, quorum terminationes apud priores iam poetas satis incertas esse Sniehotta Zwiener Neumannus demonstraverunt, nonnullae tantum exstant formae, quae cum communi regula discrepent.

Ac primum quidem nomen Ἀχιλλεύς [3]) Graecam terminationem omnibus locis mutavit cum Latina tertiae declinationis

[1]) Cf. Skutsch-Stowasser l. c. praef. § 92.

[2]) Neue I³ p. 373. 475. 507 sq. 509. 512. — Sniehotta l. c. p. 37 sq. — Zwiener l. c. p. 114 sq. — Housman l. c. p. 259. — Neumann l. c. p. 72.

[3]) Thes. ling. Lat. I 391 sqq.

es et casus obliquos ubique fere in modum huiusmodi nominum formavit. Itaque legimus nominativum *Achilles*, genetivum *Achillis*, dativum *Achilli*, accusativum *Achillem*, vocativum *Achilles*. Cum hac declinandi ratione nisi duae formae non discrepant. Ac primum quidem in periegesi Prisciani (297) exstat genetivus *Achilli*, quem auctor exemplum secutus Vergili in fine hexametri ita ponit, ut ei vocabulum in *s* litteram desinens *fortis* antecedat. Itaque testimonio Servi ad. Aen. I 30 euphoniae causa *s* littera subtracta est. Sniehotta et iam antea Lindsayius [1]) dixerunt hanc formam ex *Achillei* forma ortam esse et errore scribarum *-i* terminationem codices invasisse. Sed verisimilius est id quod Foerster me admonuit hanc formam secundum analogiam genetivi *Xerxi* (Graece Ξέρξου) similium esse formatam. Deinde exstat accusativus *Achillen* [*-em* A] Drac. Or. tr. 535, quam terminationem per analogiam nonnullorum tertiae declinationis nominum, quae accusativum Graecorum more secundum primam flectunt declinationem, formatam esse cum Zwienero (p. 116) existimo.

Neque aliter nomen *Ulixes* ubique fere secundum tertiam a poetis huius aetatis flectitur declinationem. Etenim invenimus nominativum *Ulixes*, genetivum *Ulixis*, dativum *Ulixi*, accusativum *Ulixem*, ablativum *Ulixe*. Praeterea exstat genetivus *Ulixi* Prisc. per. 449 et accusativus *Ulixen* Anth. Lat. 21, 152, quibus de formis idem valet ac de genetivo *Achilli* et accusativo *Achillen*.

4. Restat ut verba faciam de nomine proprio ex Hebraicis deprompto *Moyses* vel *Moses* [2]), Graece Μωσῆς, -έως vel Μωϋσῆς, -έως (-οῦ). Ab his duabus formis Graecis *Moyses* et *Moses* ducuntur, quae formae praecipue sequuntur declinationem eorum nominum, quae nominativum -ης, genetivum -ου in lingua Graeca praebent. Haec nomina accusativum Latinum plerumque secundum primam, genetivum autem et dativum secundum tertiam declinationem formare supra fusius demonstravi. Itaque legimus nominativum *Moses* Prud. ditt. X (in titulo) Victorin. d. m. M. 249 c. adv. Marc. II 169 III 48 Cypr. Ex.

---

[1]) Lindsay, Archiv f. lat. Lexikogr. XV 145.

[2]) Neue I³ p. 511 sq. 882 alibi — Georges II 907.

105. 127 c. de prov. div. 394 Domnul. hist. trist. 15 (in titulo) 15, 1 Arator. act. ap. II 1008, *Moyses* Prud. ditt. 51 cath. V 31. 63 VII 37 XII 144 ham. 339 per. VI 86 Cypr. Num. 459. 498. 513 Avit. p. V 41. 62. 218 Paul. Nol. c. XXII 39. 154 XXVI 36. 374 XXVII 517 XXXI 363 Paul. Petr. v. M. III 81 Sedul. p. c. III 208 Eug. Tol. c. XXXIX 1 XL 1 Ven. Fort. c. V 5, 131 VIII 3, 14 IX 2, 25, genetivum *Moysis* Victor. prec. 106, dativum *Mosi* c. de prov. div. 434 c. adv. Marc. IV 27 V 217 *Moysi* Prud. ditt. 36. 38 Cypr. Ex. 752, accusativum *Mosen* Victorin. d. m. M. 324 c. de prov. div. 385 Paul. Nol. c. XV 224 Arator. act. ap. I 692 [1]) *Moysen* [-*em* A] Cypr. Ex. 1035 Avit. p. V 652 Paul. Nol. c. VI 166 XXVI 219 Sedul. p. c. III 285, ablativum *Mosē* Victorin. d. m. M. 319 *Moyse* Prud. ditt. 53 Paul. Nol. c. VI 214 Sedul. p. c. V 274 Eug. Tol. sat. 17. In his ablativis duo (Victorin. Eug. Tol.) *e* longam vocalem finalem exhibent. Ceteris locis *e* vocalis mensura non elucet, quia ablativus aut in fine versus aut in positione exstat.

Praeter has formas nonnullae una syllaba crescunt. Cuius generis exstant genetivi *Mosetis* Cypr. Ies. Nav. 104 *Moysetis* Cypr. Ies. Nav. 87. 275 Ex. 506, accusativus *Moysetem* Cypr. Num. 553. Quas per analogiam nominum *Dares*, *-etis* similium formatas esse existimantes non multum a vero aberrabimus [2]).

Praeterea aliam declinandi rationem sequitur genetivus *Mosi* Arator. act. ap. I 791 II 1139. 85 *Moysi* Cypr. D. 152 (in titulo) Sedul. p. c. IV 168 Prud. ap. 51 Paul. Nol. c. XXVI 94, de quo idem valet ac de genetivis *Achilli Ulixi*.

Interdum autem huic nomini nominativus *Moseus* vel *Moyseus* esse suppositus videtur. Ab hoc nominativo nonnullae formae in modum nominum per -εὺς terminatorum formatae ducuntur. Etenim legimus genetivum *Mussēos* Cypr. Ex. 75 *Moysēi* Ven. Fort. c. V 5, 33, dativum *Mosēo* Drac. sat. 17. Praetera hoc loco (cent. Prob. 36) in codicibus legimus *Moseum* LT *Moyseum* φπ, ubi Schenkelius formam *Musaeum* in textum recipiendam esse demonstravit [3]). In formis *Mussēos* et *Mosēo*

[1]) Graecam formam cum codice Cantabrigiensi esse reponendam supra (p. 52 adn. 2) dixi.

[2]) Cf. Rönsch l. c. p. 264.

[3]) In praefatione editionis p. 524.

propter *e* longum substantivum *Mosēus* et adiectivum *Mosēus* inter se confusa videntur esse.

Denique affero formas nominis *Moyses*, quae nulla syllaba crescunt, semper fere *δισυλλάβως* spondei loco exhiberi [1]); quattuor tantum locis *o* vocali correpta *τρισυλλάβως* pronuntiantur, ut baccheum efficiant, idque his: *Mŏyses* (nom.) Prud. h. 339 per. VI 86 *Mŏysi* (gen.) Prud. ap. 52 *Mŏysen* (acc.) Sedul. p. c. III 285.

5. In fine nonnullas voces adnoto, quae in prioribus paragraphis afferri non potuerunt. Legimus interiectionem *euoe* Ennod. 374, 6, adverbium *sophos* (*σοφῶς*) Apol. Sid. ep. IX 13, § 5, 108 c. I 4 V 8 VIII 10 XXIII 234, quod iam apud Martialem (I 39, 37. 66, 4. 77, 10 IV 46, 8) et Petronium XL 1 invenitur.

Haec habui quae dicerem de numero eorum nominum, quae Graecam terminationem retinuerunt aut cum Latina commutaverunt.

Caput II.

Quibus causis poetae Romani, ut terminationes Graecas servarent, commoti sint.

Postquam cognovimus, quo modo quibusque locis poetae huius aetatis, de qua agimus, nominibus Graecis utantur, ad maiorem pergamus quaestionem, quibus causis, ut Graecum exitum hic illic servarent, commoti sint. Sed quia de hac re copiosius a Sniehotta Bednara Zwienero Neumanno actum est, brevius disserere nobis licet.

§ 8. De grammaticis causis.

1. Primum quidem, ut grammaticas recenseamus causas, agamus de iis nominibus, quae et Graece et Latine easdem praebent formas [2]). Quo in genere primum

[1]) Cf. F. Krenkel, De Aureli Prudentii re metrica, Diss. Koenigsberg. 1884, p. 10.

[2]) Neumann l. c. p. 74.

enumerentur nominativi primae declinationis, quae in *α* impurum exeunt velut *Musa*. Idem valet de eiusdem declinationis accusativis pluralis in *-ας* exeuntibus velut *Mycenas Persas*. Mentionem quoque facio vocativi nominum per *-ης* terminatorum, quorum terminationi *t* consonans antecedit, velut *anachoretă*.

Alterius autem declinationis et in Graeco et in Latino sermone easdem praebent formas vocativus singularis velut *Bacche*, nominativus accusativusque pluralis neutrorum velut *Pergama*, dativus singularis velut *Oceano*.

Tertiae declinationis Graece et Latine eodem cadunt modo nominativi in *-as*, *-is*, *-s* vel *-ax*, *-ix*, *-x* vel *-an*, *-in*, *-en* vel *-or*, *-er*, *-r* desinentes et neutrorum per *-α* terminatorum nominativus accusativusque singularis et pluralis velut *chrisma* — *dogmata*.

2. Deinde omnia ea nomina sunt servata, quae ori Latino nullo modo adaptari potuerunt[1]. Ac primum quidem nominativus accusativusque per *-ys* vel *-yn* finitus hanc Graecam terminationem non mutavit, quia deerat terminatio Latina, quae huic exitui *-ys* vel *-yn* par esset. Etenim *ym* exitum per errorem a librariis esse scriptum Zwiener (p. 94. 173) docuit. Exceptae tantum sunt formae *Rhadamanthus* Drac. R. IX 34, quae vox apud priores iam poetas hac afficitur terminatione, et *botrus* c. adv. Marc. Quod denique legimus vocativum *clamis* Paul. Petr. v. M. I 74, hanc formam e sermone vulgari provenisse certum est.

Pariter se habent nomina per *-ως* finita. Etenim quia Romani eundem vel similem exitum non habebant, nomina velut *Athos eros* alia a mutatione tuta erant. Nihil certi statuere licet de accusativo *Athon*[2] Apol. Sid. c. IX 47, quia e structura versus cognosci non potest, utrum *o* vocalis longa an brevis sit.

Neque magis fieri potuit ut poetae nominativum accusativumque nominum per *-ω* finitorum renovarent. Itaque semper legimus nominativos accusativosque *Calypso echo* alia. Cum his nisi nomen *Gorgon* non discrepat, de quo iam supra (p. 35) copiosius egi.

Nomina quoque neutrius generis tertiae declinationis in *-ος*

[1] Sniehotta l. c. p. 41. — Neumann l. c. p. 75 sq.
[2] Cf. Thes. ling. Lat. II 1038.

cadentia, quorum stirps in -ες exit, hanc terminationem plerumque non mutaverunt, quamquam facile fieri potuit ut poetae per analogiam nominum alterius declinationis in -ος desinentium pro -ος Latinam terminationem -*us* ponerent. Atque hoc factum est in nomine formando *pelagus*, quod iam a prioribus poetis plane Latine flectitur. Quamquam autem hoc vocabulum prorsus in sermonem Latinum transiit, tamen genus neutrum non mutavit. Praeter hoc declinandi rationem alterius declinationis sequuntur nominativi *Erebus cetus* (cf. p. 36), genetivi *Erebi* vel *herebi* (cf. p. 46), accusativi *erebum melum* (cf. p. 61), nominativus pluralis *mela* (cf. p. 37). Quod denique legimus ablativos *chao melo* (cf. p. 67), hoc iam non offendere potest.

§ 9. De metricis causis.

Praeter has grammaticas causas praecipue metricae rationes[1]) poetas, ut Graecum exitum nominum hic illic servarent, commoverunt.

1. De nominibus in creticum exeuntibus[2])

In lingua Romana multa exstant nomina, quae „in versu heroo idcirco collocari non possunt, quia vel cretici (— ⏑ —) sunt vel in creticum exeunt" (Sniehotta p. 48). Etenim talia nomina, quorum antepaenultima syllaba longa, paenultima brevis, ultima iterum longa est, ab hexametro pangendo valde aliena sunt. Itaque poetae, ut longam syllabam finalem vitarent, Graecam terminationem brevem pro Latina longa ponere cogebantur. Quod primum valet de nonnullis nominativis pluralis tertiae declinationis per -*es* terminatis, quae terminatio, quia in lingua Latina *e* vocalem syllabae finalis productam praebet, metro dactylico obsistit. Itaque, ut exemplo utar, auctor carminis adv. Marcionitas (I 51) scripsit *daemŏnĕs* pro *daemŏnēs*. Eademque de causa 23 nominativi pluralis Graece finiti postulantur.

Deinde ad exemplum nominativi pluralis etiam accusativis nonnullis poetae cretici evitandi causa Graecam dederunt terminationem -*ăs* pro Latina -*ēs*, eamque iisdem nominibus, quorum

[1]) Sniehotta l. c. p. 48 sq. — Neumann l. c. p. 85 sqq. — E. Häfner, Die Eigennamen bei den lat. Hexametrikern, München 1895, p. 5 sq.

[2]) Sniehotta l. c. p. 49. — Zwiener l. c. p. 169 sq. — Neumann l. c. p. 97.

nominativus pluralis iam ab hexametro alienus erat. Itaque, ut exemplo utar, scripsit Prudentius (c. S. I 134) *Maenădăs* pro *Maenădes*. Praeterea 25 alii accusativi Graeci eadem de causa postulantur.

2. De positione vitanda[1]).

Graeca syllaba brevis poetis persaepe grata et accepta erat, ut positionem quae dicitur vitarent. Notum enim est syllabam per se brevem duabus quae sequuntur consonantibus produci. Qua de causa multa nomina Graeca, si ori adaptata essent Latino, aut creticum (— ◡ —) aut bacchium (◡ — —) aut ionicum a minore (◡ ◡ — —) effecissent. Atque horum creticus metro plane respuitur, bacchius autem et ionicus a minore in hexametrum nisi in quarto aut sexto pede, in pentametrum omnino non immitti possunt. Hac de causa poetae accusativum tertiae declinationis plerumque Graece in α desinere voluerunt[2]). Atque haec terminatio saepissime occurrit omnium Graecarum et 246 locis quibus invenitur metro postulatur. Omnino autem 261 exstant formae, qua ex re elucet poetas Romanos eo, quod Graeco utebantur exitu, multas effugisse difficultates metricas. Quae ut cognoscas, nonnulla afferam exempla. Ac primum quidem Sidonius, ut creticum vitaret, scripsit *Cāstŏră* pro *Cāstŏrēm* in hoc versu (c. V 182):

Maioriane ferox, vetuisses Cāstŏră frenos.

Deinde Cyprianus, ne ionico a minore uti cogeretur, graecissavit in versu (Gen. 382):

hic Băbȳlōnă locat Orichamque Archata et Acallam.

Atque poetae propter metrum in eodem nomine finiendo modo Graecam modo Latinam exhibuerunt formam. Cyprianus, si syllaba brevis metro postulabatur, Graecanicam adhibuit formam nominis *Samson* in versu (Iud. 673):

rursus adumbrato temptat Samsonă rogatu;

contra si longa syllaba ei opus erat, Latinam adhibuit terminationem in versu (Iud. 648)

nocte fere media Samsonem somnia linquunt.

Denique observari volo 8 tantum locis Graecam -α termina-

[1]) Sniehotta l. c. p. 50.

[2]) Zwiener l. c. p. 163. — Neumann l. c. p. 99.

tionem elisione evanescere, ut nihil intersit, utrum Graeca an Latina adhibeatur syllaba finalis.

Pariter se habent nomina in -ευς[1]) desinentia, quorum ultima stirpis syllaba longa est, velut *Nēreus Salmōneus*. Quorum nominum accusativus Latine in -*ĕŭm* desinens in versum heroum recipi non potest, quia, si nomen quod sequitur a consona incipit, in creticum exit. Sed ne ante vocalem quidem formae velut *Nereum* locum habent. Contra in hendecasyllabo Latina terminatio -*ĕŭm* grata est. Itaque legimus *Orpheum* Apol. Sid. ep. VIII 11, 19 *Theseum* Apol. Sid. c. XXIV 29. Item in fine hexametri Latina forma per synizesin adhibita tolerari potuit velut *Promethēūm* Ennod. 186, 7.

3. De elisione vitanda[2]).

Praeter hanc poeseos Romanae legem etiam aliud praeceptum poetae dactylico Romano interdum erat molestum. Etenim notum est poetas Latinos quasdam syllabas finales ante vocalem et *h* litteram abicere coactos esse. Itaque, ne Latinas terminationes elisione amitterent, interdum Graecam terminationem Latinae loco ponere cogebantur. Cuius generis primum enumerentur nominativi per -ας vel -ης terminati[2]), qui interdum ante vocalem Graecum retinuerunt exitum. Etenim 255 nominum per -ης et 115 per -ας terminatorum 30 et 23 vocali quae sequitur postulantur. Iam satis est nonnulla attulisse exempla. Venantius elisionis causa scripsit *Boreas* v. M. II 76 *Moyses* c. IX 2, 25. Alio autem loco (v. M. II 74) Latinam exhibuit formam *Persa*, ut *a* vocalem finalem elisione amitteret.

Deinde nonnulli neutrorum nominativi singularis alterius declinationis vocali quae sequitur velut *Deuteron* Cypr. Ies. Nav. 280 postulantur. Idem valet de accusativis per -ον vel -ην nominativo et in -ης et in -η excurrente vel -αν nominativo et in -ας et in -α desinente vel -ιν terminatis. Iam singula aggrediamur. Primum quidem quam gratus acceptusque poetis accusativus Graece finitus fuerit,

[1]) Sniehotta l. c. p. 51. — Bednara l. c. p. 357 (45). — Zwiener l. c. p. 172.
[2]) Sniehotta l. c. p. 53. — Zwiener l. c. p. 145. — Neumann l. c. p. 86 sq.

optime demonstratur accusativo in *-ον* desinente [1]. Etenim e 79 locis, quibus exstat, 43 locis vocali sequente postulatus est.

Aliter res se habet in accusativo *-ην* (nom. *-ης*) [2] formando. Etenim 4 tantum locis propter vocalem sequentem ponitur; omnino autem Graeca terminatio 49 locis exstat, ut poetas amore graecissandi, ut Graece declinarent, adductos esse putes. Sed interdum Latinam quoque terminationem metro postulari hoc demonstratur loco: *Iordanem* Cypr. Deut. 2. Idem valet de accusativo *-ην* eorum nominum, quorum nominativus in *-η* cadit [3]. Hic enim accusativus 7 tantum locis e 82 ante vocalem insequentem exhibetur.

Item accusativus per *-αν* (nom. *-ας*) finitus [4] ter tantum, ut ante vocalem elisio evitetur, postulatur; omnino autem 16 invenitur locis. Neque aliter poetae 25 accusativorum Graece per *-ιν* finitorum 4 tantum adhibuerunt, ut metro satisfacerent. Accusativus denique per *-αν* (nom. *-α*) uno tantum loco metro postulatur (omnino 3) [5].

Tum huc referendi sunt nonnulli genetivi primae declinationis per *-ης* terminati [6], qui Graecorum rationem declinandi 12 locis elisionis vitandae causa servant. Omnino autem genetivi Graece finiti 43 inveniuntur.

Denique nemo erit qui neget etiam nomina tertiae declinationis per *-ων* terminata [7] interdum Graecanicam terminationem *-ων* pro Latina *-o* hac de causa servavisse, ut elisionem effugerent, quamquam concedendum est Graecas formas apud Romanos esse usitatiores quam Latinas. Etenim inter 209 locos, quibus Graecanica terminatio servata est, 34 ante vocalem exstant.

Restat ut mentionem faciam genetivi *Nereos* Anth. Lat. 21, 49 (pro *Nerei*), qui Graeca terminatione propter vocalem insequentem afficitur.

[1] Zwiener l. c. p. 133 sq. — Neumann l. c. p. 86.
[2] Zwiener l. c. p. 146 sq. — Neumann l. c. p. 87.
[3] Zwiener l. c. p. 153 sq. — Neumann l. c. p. 87.
[4] Zwiener l. c. p. 145 sq.
[5] Zwiener l. c. p. 159. — Neumann l. c. p. 88.
[6] Zwiener l. c. p. 150 sq. — Neumann l. c. p. 88.
[7] Zwiener l. c. p. 161. — Neumann l. c. p. 88.

4. De nominibus in tribrachyn desinentibus.

Multa nomina Graeca in anapaestum exeunt, ut, si ori Latinorum adaptabantur, in tres syllabas breves exirent et tribrachyn (⏑ ⏑ ⏑) efficerent, nisi syllaba finalis positione producebatur. Quae cum ita sint, poetae Romani persaepe brevem syllabam Latinam cum Graeca terminatione producta compensare maluerunt. Insigne huius rei exemplum praebent nominativus vocativusque nominum per -η terminatorum [1]). Quorum ea, quae ante exitum duas habent syllabas breves, nisi per elisionem aut positionem mutilabantur, in versum hexametrum vix recipi potuerunt. Qua de causa semper Graece terminantur nomina velut *Calliope Danae* alia. Ac summam facientes Graecam -η terminationem 31 locis invenimus, quibus tribrachys evitatur, omnino autem 98 exstat locis. Eademque de causa auctor carminis de aegritudine Perdicae in versu 229 scribere coactus erat *Andromedā a* vocali producta (cf. p. 25 adn. 2).

Neque magis fieri potuit ut nominativus et vocativus nominum per -ης (gen. -ου) vel -ας (gen. -ου) finitorum [2]), quorum terminationi duae syllabae breves antecedunt, Latine terminarentur, nisi in synaloepha aut positione adhibebantur. Itaque non legimus *Bŏrĕă*, sed ubique *Boreas* Apol. Sid. c. VII 587 alibi, non *Anchisĭădă*, sed *Anchisiades* Drac. R. VIII 37.

Denique, quia a poetis horum temporum *o* finalis plerumque corripitur, hoc loco afferatur nomen tertiae declinationis per -ων terminatum [3]), cuius terminationi duae syllabae antecedunt correptae *Marathon* Apol. Sid. c. IX 39.

§ 10. De nominibus geographicis [4]).

Nominibus geographicis inde a Catullo omnes poetae Romani persaepe Graecam dederunt terminationem. Iam oritur

[1]) Sniehotta l. c. p. 49 sq. — Bednara l. c. p. 354 (42). — Zwiener l. c. p. 148 sq. — Neumann l. c. p. 91.

[2]) Sniehotta l. c. p. 52 sq. — Bednara l. c. p. 355 (43). — Zwiener l. c. p. 145 sq. — Neumann l. c. p. 94.

[3]) Neumann l. c. p. 95 sq.

[4]) Sniehotta l. c. p. 44 sqq. — Zwiener l. c. p. 129 sq. — Neumann l. c. p. 76 sq.

quaestio, quomodo poetae aetatis huius de qua quaerimus hunc secuti sint usum. Illustrissimum huius rei exemplum praebent nomina alterius declinationis per *-ος* finita. Etenim inter Graecam terminationem *-ος* et Latinum *-us* nihil interest, quod ad metricas rationes spectet, ut poetas amore sonitus Graeci adductos hanc terminationem non mutavisse existimemus. Itaque Graecum exhibent exitum nomina Graeca urbium *Arados Ephesos Mallos Tyros*, insularum *Cypros Cyrnos Delos Imbros Lemnos Paros Pharos Rhodos Tenedos Thasos Tylos*, terrarum *Isthmos* — *isthmos* (cf. p. 8 sqq.).

Latinorum autem more finiuntur nomina urbium *Aponus Canopus Caunus Corinthus Damascus Ephesus Gergessus Lyrnessus Magdalus Metabus Phaestus Tartessus Taxilus Telmessus Thynus Tyrus*, insularum *Chius* (*Cius*) *Cyprus Lesbus Naxus Peparethus Proconesus Samus Scyrus Tenedus*, terrarum *Aegyptus Epirus*, marium et lacuum *Avernus Bosphorus Euripus Euxinus Oceanus Pontus*, fluviorum *Achelous Aesarus Alpheus Bactrus Corus Cydnus Eridanus Hebrus Hermus Hiberus Nilus Oxus Pactolus Pinarus Pyramus Tagus Xanthus* — *Maeander*, montium, collium promunturiorumque *Carpathus Casius Caucasus Haemus Ismarus Libanus Magarsus Olympus Pachynus Pelorus Pindus* (cf. p. 8 sqq.).

Ex his apparet apud poetas aetatis huius Latinas praevalere formas, id quod de poetis, quos tractaverunt Sniehotta et Zwiener, non valere videmus. Sed iam apud auctores, de quibus scripsit Neumannus, „haec regula non tam diligenter" servata est, quia tertia tantum pars eiusmodi nominum Graecanico modo finitur. Apud scriptores denique, de quibus nos agimus, nomina geographica 28 tantum locis Graece terminantur, Latine autem cadentia 141 inveniuntur locis. Quinta igitur tantum pars Graecorum ratione finitur. Atque in nominibus Latine desinentibus etiam nonnulla nomina Cycladum, quae prioribus temporibus „ad unum omnia Graecam praebere terminationem" Sniehotta (p. 44) demonstravit, Latino instruuntur exitu. Latinas igitur formas magis magisque in sermonem Latinum invasisse elucet, id quod neminem offendere potest. Etenim terrae insulae urbesque Graeciae, quae prioribus poetis Romanis satis ignotae erant, ut eas Graecis afficerent termina-

tionibus, postquam a Romanis in potestatem sunt redactae, his temporibus, de quibus nos disserimus, tam erant notae, ut Graeca earum origo iam non intellegeretur.

Accusativi talium nominum saepe etiam metro non iubente — complures enim metro, ne ultima syllaba elisione evanescat, postulantur — Graecum exitum servant. Quod valet de 15 accusativis, quorum 10 ante consonam velut *Caucason Delon Dindymon Lemnon Paron Pharon Seston Tenedon*, 5 in fine versus exstant velut *Abydon Caryston Corinthon Tarson* (cf. p. 48 sq.). Praeterea exstant nonnulla nomina geographica neutrius generis per *-ον* finita velut *Byzantion Orithyion Pelion* (cf. p. 16). Genetivus alterius declinationis per *-ου* finitus nominis exstat geographici *Criu* (*metopon*).

Nominum primae declinationis per *-ης* (gen. *-ου*) terminatorum sunt geographica *Araxes Choaspes Cophes Euphrates Ganges Hydaspes Orontes* (cf. p. 17 sqq.), quorum nominum, quae 23 exstant locis, 9 metro non postulantur. Accusativus autem huius generis nominum modo ante consonam modo in fine apparet versus, ut nullo loco metro postuletur. Atque exstant haec: *Euphraten Gangen Hydaspen Niphaten* (cf. p. 51 sqq.).

Nominum deinde geographicorum per *-η* terminatorum inveniuntur nominativi *Cerne Crete Cyrene Inarime Ioppe Libye Lilybe Lyrbe Meroe Oete Patalene Perge Priene Selge Sinope Thyle* (cf. p. 24 sqq.), vocativus *Ioppe* (Arator. act. ap. I 802), genetivi *Cyllenes Dodones Europes Hesperies Hierusales Hippocrenes Iopes Ithaces Libyes Phoenices Pyrenes Syenes Thebes Thessalonices* (cf. p. 43 sq.), accusativi *Alpen Pyrenen Calpen Ephyren Europen Hippocrenen Iden Laodicen Leucen* (*Petran*) *Libyen Nemeen Peucen Phaenagoren Pholoen Prienen Rhodopen Sinopen Syenen Taprobanen Thessalonicen Thracen Thylen* (cf. p. 53 sq.), ablativi *Hippocrene Mytilene Pyrene* (cf. p. 65). Horum nominum formae Graecae 85 exstant locis, metro autem postulantur 17 tantum locis.

Affero denique accusativos per *-αν* finitos *Nean* (*polin*) (*Leucen*) *Petran* (cf. p. 53).

Nominum tertiae declinationis haec invenimus nomina geographica in nominativo terminata per *-ων*: *Baby-*

lon Calchedon Croton Ascalon Eurymedon Geon Helicon Iaon Ladon Marathon Phison (Physon) Sion Strymon Thermodon (cf. p. 29 sqq.), per -*υς*: *Halys Othrys*, per -*ως*: *Athos*, per -*ω*: *Hierico*.

Genetivis tertiae declinationis per -*ος* terminatis optime demonstratur Graecas terminationes a poetis libenter nominibus geographicis esse attributas, cum metricae rationes propter eandem mensuram Graecae terminationis -*ος* et Latinae -*is* ad servandas Graecas syllabas finales nihil valere possent. Itaque legimus genetivos *Garamantidos Hellados Lacedaemonos Strymonos Stygos Symplegados Synnados Suniados Tritonidos* (cf. p. 44). Aliter se habent accusativi eiusdem declinationis per -*α* terminati, qui omnes fere, etiam nominum geographicorum, metricis e causis Graece flectuntur. Excepta tantum sunt nomina Hebraica Graecanico modo flexa *Archata* Cypr. Gen. 382 *Chlauthmona* Iud. 92, quae terminationem elisione amittunt, ut eodem iure Latina flexio adhiberi possit.

Denique nominum geographicorum exstant accusativi per -*ιν* finiti *Albin Baetin Eleusin* (*Nean*) *Polin Syrtin Tanain Theodosiupolin Thybrin Tigrin Visurgin* (cf. p. 59), per -*ων* terminatus *Athon*, per -*υν* *Othryn*, per -*ω* *Hierico*, nominativus pluralis in -*ες* exiens *Symplegades*, in -*η* *Tempe*, accusativi per -*ας* terminati *Absyrtidas Cycladas Echinadas Sporadas* — *boreotidas* (cf. p. 62 sq.).

Atque perscrutanti, quot nomina geographica metro postulentur, apparet ne dimidium quidem omnium metricis ex rationibus adhiberi, qua ex re satis elucet haec nomina hac tantum de causa Graece esse terminata, quia nomina erant geographica Graeca.

§ 11. De nominibus appellativis Graecis e sermone cotidiano depromptis [1].

Ab omnibus poetis Romanis ea vocabula Graeca sunt servata, quae res vel animalia significabant, quorum notionem Romani a Graecis acceperant; et quia deerant voces Latinae, quae idem exprimerent ac Graecae, etiam in sermone cotidiano erant usitatissima.

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 57 sqq. — Neumann l. c. p. 82 sqq.

Ut primum res naturales [1]) recenseamus, Graecam terminationem praebent nonnulla nomina lapidum, imprimis gemmarum metallorumque. Cuius generis legimus nominativos *amethystos asbestos pyropos topazos* (cf. p. 9) — *arsenicon* — *achates aetites gagates molochites pyrites sardonyches selenites* (cf. p. 17 sq.) — *topazon*, accusativos *galactiten myrrhiten narcissiten paeaniten sardonychen* (cf. p. 51 sq.) *adamanta* (cf. p. 57).

Deinde significationes animalium, quorum nomina Romani a Graecis acceperunt, Graece flectuntur. Itaque legimus nominativum singularis *alcyone*, pluralis *delphinĕs* — *cete*, accusativos singularis *scorpion* — *acalanthida aedona delphina elefanta* (cf. p. 57 sq.), pluralis *aspidas delphinas grypas lyncas* (cf. p. 62 sq.). Nonnulla autem alia velut *draco leo taurus* apud Romanos usitatiora erant quam ut Graeca eorum origo intellegeretur.

Etiam complurium vasorum receptaculorum reliquaeque supellectilis nomina Romani a Graecis una cum rebus ipsis receperunt. Itaque Graece declinantur accusativus singularis *cratera* (cf. p. 57), accusativi pluralis *lebetas tapetas trapetas tripodas* (cf. p. 62 sq.).

Multae voces Graecae per commercium, quo Romani ut cum omnibus totius fere orbis terrarum gentibus ita cum Graecis erant coniuncti, Romam intraverunt. Itaque mirum non est nomina ponderum e Graecis depromptorum Graece finiri. Cuius generis legimus in carmine de ponderibus nominativos *chus* — *cotyle olce* (cf. p. 25 sq.) — *oxybaphon*, accusativum *chemen*.

Tum multa nomina ad artem musicam pertinentia, quia omnia fere instrumenta musica a Graecis sunt inventa, Graecam servaverunt terminationem. Artificum quoque appellationes velut nominativus *lyristes*, vocativus *psaltes* (cf. p. 40) interdum Graece cadunt. Quo in genere enumerentur nominativi *harpe* — *chelys* — *barbiton*, vocativus *chelys*, accusativi *barbiton tetrachordon* (cf. p. 48 sq.) *chelyn*.

Multa vocabula, quae ad artem grammaticam, metricam, rhetoricam pertinent, Graecae erant originis, cum

[1]) In disponendis vocibus secutus sum dispositiones, quas dederunt Weise (p. 87—325) et Thiel (p. 59—69. 84—96) in libris iam saepius allatis.

hae artes plerumque a magistris Graecis Romae docerentur. Cuius generis ad artem grammaticam referenda sunt omnia litterarum nomina (cf. p. 37. 62), ad artem rhetoricam nominativi *periodos* (cf. p. 11) — *asyndeton tetracolon dialogon* (cf. p. 16) et omnes tituli carminis de figuris (cf. p. 11. 17. 26), ad artem metricam accusativi *epitaphion epodon* (cf. p. 48 sq.) et tituli *distichon heptametron monostichon propempticon tetrastichon* (cf. p. 16).

Nonnulli termini technici Graecae sunt originis, qui spectant ad geographiam, velut nominativus *isthmos*, accusativus singularis *cosmon*, pluralis *antipodas*, ad astronomiam, velut nominativi *cometes* — *procyon*, accusativus *arcton*.

Quia deinde medicorum ars in Graecia orta est et plerumque Romae a Graecis exercitabatur, nonnulli termini technici ad artem medicam pertinentes Graecum servaverunt exitum, velut apud Benedictum Crispum genetivus *pleureseos* (X in titulo), accusativus *scyrosin* (XIII 11).

Nonnulli termini technici e Graecis sunt deprompti, qui spectant ad rem publicam, velut nominativi *satrapes tetrarches* (cf. p. 18), ad rem militarem, velut accusativus singularis *thoraca*, pluralis *phalangas*.

Ad artem denique scaenicam est referendus accusativus *thymelen*, ad gymnasticam accusativus *palen* (cf. p. 54).

§ 12. De vocibus Graecis e sermone Christianorum depromptis.

Praeter has profanas, ut ita dicam, appellationes a poetis de quibus agitur multae quoque voces e sermone Christianorum sunt depromptae. Notum enim est multa vocabula Graeca et Hebraica Graecanico modo flexa e libris divinis Christianorum, qui Graece erant scripti, cum in sermonem Latinum verbotenus verterentur, litteras Romanas invasisse. Etenim ii, qui hos libros in sermonem vertebant Latinum, multas voces Graecas, quia deerant Latinae, quae eundem vel similem haberent sensum, et quia illi viri Graecorum verborum sensum quam accuratissime reddere studebant, aut plane integras servabant aut Latinis tantum syllabis finalibus instruebant. Qua de causa multa nomina plane Graeca, quae ad religionem deique

cultum pertinent, in omnium Christianorum, qui libros lectitabant divinos, ore et sermone versabantur. Ac poetas quoque aetatis huius, qui omnes fere fidem profitebantur Christianorum et de rebus Christianis carmina pangebant, talia vocabula persaepe recepisse, praesertim cum haec per metrum interdum valde essent grata et accepta, mirum esse non potest. Itaque legimus nominum Graecorum, quae pertinent ad deum et religionem, nominativos singularis *agios* (cf. p. 10. 12) — *prophetes* — *daemon*, pluralis *daemonĕs martyrĕs*, genetivum singularis *haereseos*, pluralis *haereseon*, accusativos singularis *propheten* — *daemona martyra* — *prophetin*, pluralis *daemonas martyras*.

Ad institutiones Christianorum pertinent nominativi *haeresiarches mysteriarches* (cf. p. 18) — *archidiacon diacon* (cf. p. 31), accusativus *ecclesiasten*, ablativus *pentecoste*; ad dei cultum spectat accusativus *azymon* (cf. p. 49).

§ 13. De terminationibus Graecis propter homoeoteleuton servatis.

Iam hic adiungamus eas terminationes Graecas, quas poetae propter homoeoteleuton retinuerunt. Etenim quamquam constat iam apud priores poetas Romanos concentum quendam congruentem extremorum duorum versuum verborum nonnullis in hexametris exstitisse, de qua re primus fusius egit Guilelmus Grimm [1]), tamen homoeoteleuton a poetis demum Christianis a quinto p. Chr. n. saeculo florentibus uberius adhibitum esse videmus [2]).

Ac primum quidem homoeoteleuta exstant in fine binorum versuum contiguorum. Ut hi similem praeberent sonitum, poetae interdum Graecas servaverunt terminationes. Itaque legimus, ut exemplo utar, apud Dracontium in versibus Or. tr. 726—28 *Atrides* [*ligantes* — *secures*] [3]), quo loco tres versus sequentes eodem cadunt modo.

Deinde duo hemistichia, in quae herous versus caesura

[1]) Abhandl. d. Berliner Akademie 1851, p. 627—686.

[2]) Cf. Woelfflin, Archiv f. Lat. Lexikogr. I 351 sqq. — L. Mueller ², De re metr. p. 567.

[3]) Hos uncos rectos [] adscripsi vocabulo, quod similem praebet sonitum.

semiquinaria dividitur, extremis interdum consonant syllabis. Quare, ut prioris hexametri partis clausulam clausulae totius assimilaret versus, auctor carminis de aegritudine Perdicae, quem exempli causa affero, Graecanicas scripsit formas in versibus 230/31

Ditior haec Danae, fulgentior altera Glauce,
Candidior Progne, venit altera et altera Dirce.

Similiter idem auctor nomen *Andromeda* vocali *a* instruxit in hoc versu (229):

Hic erat Andromeda, hic altera Laudamia.

Ut extrema versus syllaba eaque, quae exstat ante caesuram semiseptenariam, clausulas eodem modo praeberent finientes, Dracontius (R. X 367) scripsit *Creon* [*Iason*]. Atque ut primum et extremum hexametri vocabulum inter se responderent, idem auctor (l. d. III 683) dixit *echo* [*imago*].

Denique aliusmodi homoeoteleuta saepe inveniuntur, atque ita interdum, ut duarum vocum, quae eundem praebent sonitum, altera alteram sequatur, id quod assonantiam vocare consuevimus. Cuius causa, ut exemplum afferam, scripsit Licentius (133) *Boreas* [*animas*].

In hendecasyllabis denique versibus propter homoeoteleuton Graecas formas servatas hoc uno tantum inveni loco (Apol. Sid. c. IX 175/76):

Thebis Euhion Ilioque Vestam,
Thymbrae Delion, Arcadem Lycaeo[1]).

§ 14. De terminationibus Graecis euphoniae causa servatis.

Apud omnes constat poetas Romanos non solum hiatum qui dicitur, sed etiam malum quam maxime vitasse sonitum[2]). Quod ut fieret, Graecae formae omnibus eis locis, quibus Latinae malum effecissent sonitum, gratae erant et acceptae.

Illustrissimum huius rei exemplum praebet genetivus tertiae declinationis Graece per *-ος* terminatus[3]).

[1]) Admoneo de figura chiasmi in versu 176.
[2]) Nonnulla de hac re scripsit Luc. Mueller², De re metr. p. 560 sq.
[3]) Zwiener l. c. p. 162 sq.

Etenim cum Graecus exitus *-ος* et Latinus *-is* eandem exhiberent mensuram, metricae rationes nihil ad servandas vel mutandas formas Graecas valere potuerunt. Quare eas euphoniae causa esse servatas existimabimus. Exempli causa affero Apollinaris Sidoni versus hos:

c. V 491 *Ogygiis complent thiasis seu Strymonos arvis*

c. VII 198 *sic Pandioniis castae Tritonidos arvis.*

His igitur locis Graeca terminatio propter *i* vocalis propinquitatem servata videtur esse.

Aeque Graecum nomen *Τηθύς* genetivum *Tethyos* Graece declinatum exhibet, quia *y* et *i* vocales similem praebent sonitum (cf. p. 44).

Deinde ut *i* etiam alias vocales in nominibus iuxta positis saepius scribere poetae videntur esse veriti. Itaque accusativi Graeci terminationem *-ον* Sidonius, ut exemplis utar, retinuit, ne pluribus sequentibus *u* vocalibus audientium aures offenderentur, in his versibus:

c. V 451 *Pergama; ne tantae Seston iuncturus Abydo*

c. IX 235 *pictum faecibus Aeschylon secutus.*

Tum poetae quam maxime cavisse videntur ne syllabas eundem sonitum efficientes in arsibus contiguis ponerent. Quod ut evitaretur, Graecae terminationes ad variationem interdum erant acceptae, id quod elucet ex his versibus:

Apol. Sid. c. XV 175 *Mnemosynam, Europám, Semelén, Ledám, Cynosuram*

Prisc. per. 15 Et *primám Libyén, post Europén Asiámque.*

Item, quia *-us* syllaba finalis in arsi bis repetita non suaviter ad aures accidit, modo Graeca *-ος* modo Latina *-us* terminatio ponitur in hoc versu Venanti Fortunati (v. M. II 81):

Gazaque Creta Samós Cyprús Colofona Seraptis.

§ 15. De Graecis formis, quarum originem poetae ipsi ostentaverunt [1]).

Nonnullis locis poetae Graecas retinuerunt formas, quarum originem ipsi ostentaverunt Graecam. Atque hoc factum esse

[1]) Sniehotta l. c. p. 43 sq. — Zwiener l. c. p. 175 sq. — Neumann l. c. p. 109 sqq.

videmus, si poetae, quomodo nomen Latinum, imprimis geographicum, a Graecis vocaretur, significare volebant. Cuius rei haec exstant exempla:

Avit. p. I 262 *Tertius inde* G e o n, *Latio qui nomine* N i l u s
Dicitur, . . .

Avit. p. IV 625 . . . *quem nunc* T h a u m a n t i d a *Graio*,
I r i m *Romuleo vocitant sermone poetae.*

Paul. Nol. c. XXXII 195 *hunc etiam Graeci* c o s m o n *dixere priores*;
hinc ita conpositum distinguens utraque lingua
c o s m o n *ab ornatu*, m u n d u m *de lumine dixit.*

Prisc. per. 470 *Postquam non longe cernuntur litora* C y r n i,
C o r s i d a *quam pariter geminato nomine dicunt.*

Praeterea aliis locis poetae has illas res a Graecis ita esse significatas dixerunt, velut his[1]):

c. adv. Marc. III 92 . . . *numerus* T a u *littera Graeca*

Orient. de trin. 76 sq. *P Graecum videas* . . .

Paul. Nol. c. XIX 620 . . . *haec Graecis* c h i *scribitur* . . .
c. XIX 623 . . . *quod in Hellade* i o t a *est.*

Prisc. per. 424 *Nomine quam Danai dixere* S a r o n i d a *prisco.*

per. 93 A r i e t i s *hanc rupem simulantem vertice* f r o n t e m
Prominulo Grai C r i u *dixere* m e t o p o n.

Huc accedunt complures loci, quibus non diserte Graecos haec illa nomina adhibuisse dicitur, sed quibus ex sermonis contextu dilucide apparet ea Graeca esse. Quod poetas his praecipue in versibus fecisse, qui regionum Graecarum descriptiones continent, Zwiener (p. 180) dixit. Atque nomina geographica libentissime Graecis terminationibus esse instructa in paragrapho 10 (p. 77 sq.) demonstravimus. Hanc viam ingressi poetae Graecas adhibent terminationes his locis:

Cypr. Ies. Nav. 8 *monte tenus magno, quem* L i b a n o n *incola dicit*,

Avit. p. I 260 E u p h r a t e n T i g r i n q u e *vocant*, . . .

Prisc. per. 549 . . . *has dicunt* C y c l a d a s *esse.*

143 . . . *hunc* C r i u *dixere* m e t o p o n.

190 sq. *Ast inter Syrtis urbs est, quam nomine dicunt*
Esse N e a n p o l i n, . . .

558 *Quam* L e u c e n *perhibent.*

---

[1]) Cf. Neumann l. c. p. 109.

§ 16. De Graecis formis, quas poetae priorum exempla imitati receperunt [1]).

Poetae Romani ut omnium temporum ita horum, de quibus agimus, interdum verbis auctorum Graecorum, quos imitati sunt, ut Graecas formas in carmina sua reciperent, sunt adducti. Quod imprimis valet de periegesi Prisciani, quem Dionysi carmen, cui est titulus *οἰκουμένης περιήγησις*, in linguam Latinam transtulisse [2]) constat. Itaque cum persaepe totos Dionysi versus verbotenus in sermonem verteret Latinum, Graecas quoque formas plane integras servavit, praesertim cum hae metri causa interdum gratissimae essent. Huius rei haec invenimus exempla:

Prisc. 93	=	Dionys.	90 [3])	Prisc 526 sq.	=	Dionys.	500 sq.
190 sq.	=		205	531	=		504 sq.
219	=		230	544	=		520
243	=		259	577 sq.	=		565 sq. [5])
259 sq.	=		270	651	=		661
354	=		360	661	=		679
403 sq.	=		405 sq.	852	=		910
471	=		459 [4])	858	=		915
482	=		470 sq.	886	=		956
506	=		477	943	=		1020.

Haec igitur nomina Priscianus plane integra retinuit. Atque si plures libros Graecorum servatos haberemus, etiam alios poetas multas terminationes Graecas ad exemplum horum servavisse intellegeremus.

Neque minus poetae Romani e Graecis libris prosa dictione conscriptis multas formas Graecas non mutatas receperunt.

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 54 sqq. — Zwiener l. c. p. 177 sqq. — Neumann p. 110 sq.

[2]) Cf. Drathschmidt l. c. p. 1 sqq.

[3]) Secutus sum editionem, quam curavit C. Mueller, Geographi Graeci minores II 103 sqq. (cf. 190 sqq.).

[4]) Erravit Luc. Mueller [2], De re metr. p. 498 sq., cum dixit: *Neque apud Priscianum in Periegesi recte habere existimo, quod fertur „Corsida" sed potius „Corsica"* . . .

[5]) Corrigendus est Manitius, Mus. Rhen. XLIV 545, cum dixit: *Einen eigenen Wortschatz besitzt Priscian nicht, mir ist nur das Wort 'boreotidas' aufgefallen.*

Cuius rei ut exemplum afferam, auctor carminis de figuris, quia hausit ex Alexandri Numeni f. opere, cui est titulus *περὶ τῶν διανοίας καὶ τῆς λέξεως σχημάτων* [1]), has servavit appellationes Graecas: *colon* 8 *peri . . . odos* 10 *tetracolon* 11 omnesque titulos (cf. p. 11. 17. 26), id quod fusius demonstravit I. Mueller [2]).

Sed non solum Graecos sed etiam Latinos poetae Romani sunt imitati. Cuius rei illustrissimum exemplum praebent centones qui dicuntur Vergiliani, qui ex Vergili verbis et hemistichiis, interdum quoque ex integris versibus conglutinati sunt. Atque hac imitatione priorum poetarum factum est ut his temporibus, quibus lingua Romana iam permultum de prisca sua elegantia perdiderat ac maculis Latinitatis quae dicitur volgaris valde corrupta erat, tamen poesis Romana horum temporum aliquid de colore priscae Latinitatis servaret, id quod scholis rhetorum effectum videtur esse. Atque inter poetas, quorum studio poetae Christiani praecipue incubuerunt, primum obtinet locum Vergilius, quem plures formas Graecas in versus suos recepisse „quam quemquam ceterorum“ Sniehotta (p. 64) fusius demonstravit. Qua de causa mirum esse non potest etiam auctores, de quibus agitur, hic vel illic easdem atque hunc praebere formas Graecas. Iam pergamus in hoc conspectu plura huius rei afferre exempla.

cent. Prob. [3])	65	=	Verg. Aen. V 839
	683	=	IX 696
cent. Tityr.	91	=	V 839
Victor [4]) al.	I 350	=	VI 202
Apol. Sid. [5]) ep.	VIII 9, 8	=	Claud. XXVIII 30 sq.
	VIII 11, 10	=	Verg. Aen. I 316 sq.
	c. I 17 sq.	=	Ovid. fast. V 379 sq.
	II 171 sq.	=	Claud. XVII 90 sq.
	441 sq.	=	Verg. Aen. VIII 728
			Stat. silv. I 4, 79

[1]) Chr. Walz, Rhetores Graeci III 421—86. — L. Spengel, Rhetores Graeci III 7—40.

[2]) I. Mueller, De figuris quaestiones criticae part. I, Diss. Grips. p. 14—27.

[3]) Cf. Schenkl in editione p. 511 sq. (sub textu).

[4]) Cf. Schenkl in editione p. 483 sq.

[5]) Cf. E. Geisler in editione Luetiohanni p. 351—416.

Apol. Sid. c. II 509 sq.	=	Claud. III 335 sq.
V 166	=	Stat. Theb. IV 664
427	=	Claud. XXVI 135
448	=	Ovid. met. XII 623
VI 1	=	Stat. Theb. I 5, 35
24 sq.	=	Hor. c. III 4, 53 sq.
VII 95	=	Lucan. X 69
581	=	Ovid. met. VII 410
		fast. II 349
IX 90	=	met. VII 224 sq.
118 sq.	=	Stat. silv. I 1, 9 sq.
XI 21 sq.	=	Claud. c. m. X 90 sq.
43	=	X 156
XIV 14 sq.	=	XXIX 169 sq.
16 sq.	=	XXIX 171 sq
XV 19 sqq.	=	Hor. c. III 4, 53 sqq.
47	=	poeta laud. ab Hygin. fab. 221
XVI 79 sq.	=	Hor. c. III 29, 18
XXII 137 sq.	=	Stat. silv. I 5, 36 sq.
XXIII 243 sq.	=	Stat. Ach. II 133
Avit. [1]) p. IV 214	=	Verg. Aen. VI 202
283	=	georg. I 406
Paul. Nol. [2]) c. V 15	=	Prud cath. IX 81
XIX 67	=	Verg. Aen. V 140
648	=	Prud. cath. IX 11
XXIII 12	=	Verg. georg. III 338
XXXII 169	=	Ovid. met. II 470
Mart. Cap. [3]) 27, 10	=	Prop. IV 4, 35
		Ovid. met. X 447
		Sen. Med. 315
		Ag. 70
		[Sen.] Oct. 238
		Germ. Ar. Ph. 139
		Lucan. II 722 VI 282
299, 22	=	Val. Flacc. II 68
		Cic. Ar. Ph. 640
339, 5	=	Verg. georg. IV 490
		Sen. Her. Fur. 575
339, 19	=	Hor. c. III 11, 2
		ep. II 3, 394

[1]) Cf. Peiper in editione p. 302—308.

[2]) Cf. G. de Hartel in editione p. 377—96.

[3]) Cf. Stange l. c. p. 46—57.

Drac.[1]) R. VI 13	=	Verg. Aen. III 544
		Stat. Theb. I 535
VII 148	=	Verg. Aen. V 822
VIII 47	=	Stat. Theb. VI 420
324	=	Ach. I 469
586	=	Verg. Aen. X 287
IX 38	=	Hom. Lat. 565
91	=	Verg. Aen. III 303
Or. tr. 25	=	Sen. Ag. 39
196	=	Hom. Lat. 424
536	=	Verg. Aen. VI 393
		Stat. Theb. I 476
637	=	Stat. Ach. II 30
844	=	Lucr. II 146
Prisc.[2]) per. 15	=	Luc. IX 350
130	=	Verg. Aen. III 126 sq.
243	=	Claud. XVIII 218
321	=	Verg. Aen. III 14
		Stat. Theb. V 53
		Claud. XX 247
938	=	VII 201
Boeth.[3]) III 5, 7	=	Verg. georg. I 30
		Sen. Med. 382
12, 50	=	Her. Fur. 575
		Her. Oet. 1091
IV 5, 3	=	Prop. IV 4, 35
		Ovid. Med. X 447
		Sen. Med. 315
		Ag. 70
		[Sen.] Oct. 238
		Germ. Ar. Ph. 139
		Luc. II 722 VI 282
Coripp.[4]) Ioh. praef. 7 sqq.	=	Prop. III 1, 25 sqq.
III 113	=	Verg. georg. III 109
I 336	=	Ovid. met. II 227
Ven. Fort.[5]) c. III 9, 62	=	Sedul. p. c. IV 286
v. M. II 125	=	Verg. Aen. VI 202
III 424	=	X 265.

[1]) Cf. B. Barwinski, Quaestiones ad Dracontium et Orestis Tragoediam pertinentes, Quaest. I de genere dicendi, Diss. Gotting. 1887, p. 12 sqq.

[2]) Cf. Drathschmidt l. c. p. 27 sqq.

[3]) Cf. Peiper in editione p. 228 sqq.

[4]) Cf. R. Amann, De Corippo priorum poetarum Latinorum imitatore, Oldenburg 1885.

[5]) Cf. M. Manitius in editione Leonis p. 132 sqq.

Deinde facile est intellectu poetas etiam ex prosa dictione priorum temporum Latina multas formas Graecas transsumpsisse metroque accommodavisse. Quae nomina imprimis talia sunt, qualia etiam in sermone cotidiano Graecis instruebantur terminationibus, qua de re supra (§ 11) fusius egi. Cuius rei permulta exstant exempla; sed satis est admonuisse de Prisciano, quem in periegesi multa nomina Graeca gemmarum e Solino recepisse constat [1]). Quod ut eluceat, haec afferam exempla:

Prisc. per. 440	= Sol. p. 66, 21	|	Prisc. per. 581	= Sol. p. 102, 10
472	= 45, 11	|	989	= 160, 8.

Iam oritur quaestio, qualem sacrae scripturae textum poetae adhibuerint, Graecum an Latinum. Atque affirmaverim eos tali usos esse sacrae scripturae versione Latina, quales legebantur ante Hieronymum, nonnullos etiam Hieronymi versione, quae Vulgata dicitur. Quod ut demonstrem, illustrissimum affero exemplum Aratorem, a quo acta apostolorum quae dicuntur in versus redacta esse notum est. Is cum scriberet (act. ap. II 5) nomen Graece terminatum *Salamina* et in eodem versu nomen Latine desinens *Cyprum*, in animo habuit hos Vulgatae locos [2]):

act. ap. XIII 4 *et inde navigaverunt Cyprum*
XIII 5 *et cum venissent Salamina . . .*

Deinde Arator (act. ap. II 313) scripsit *vir quippe Macedo* secutus Vulgatae locum

act. ap. XVI 9 *vir Macedo quidam erat.*

Haec quidem de causis, quibus poetae, ut Graecas terminationes hic illic servarent, commoti sint, dicenda fuerunt. Atque ex his quae protuli satis apparere mihi videtur Koenium erravisse, cum metri necessitatem solam causam Graecas servandi terminationes fuisse putavit. Quod ut facilius cognoscas, conspectum I composui, in quo terminationes Graecas et Latinas, quae saepius, quae minus saepe metri necessitate postulantur, secundum numerum locorum quibus inveniuntur, composui atque

[1]) Th. Mommsen, C. Iulii Solini collectanea rerum nemorabilium, Berlin 1895, p. 244 sq. — Drathschmidt l. c. p. 59 sqq.

[2]) Ioh. Wordsworth et H. I. White, Novum Testamentum . . . secundum editionem sancti Hieronymi, Oxonii 1905.

omnibus cum locis quibus exstant comparavi. Eas terminationes, ad quas servandas aut mutandas metricae rationes nihil valere potuerunt, aeque ac Zwiener (p. 188) non enumeravi.

Conspectus I,
quo quot terminationes Graecae quotque Latinae metri necessitate postulentur, demonstratur [1]).

Metro postulatur					
Graeca term.	locis	omnino exstant formae	Latina term.	locis	omnino exstant formae
α acc.	246	261	*em* acc.	38	72
ων nom.	128	209	*o* nom.	11	29
ης nom.	105	255	*a* nom.	85	103
ας nom.	94	115	*a* nom.	18	21
η „	50	98	*a* nom.	21	26
ον acc.	43	79	*um* acc.	25	509
ας acc. plur.	32	98	*ēs* acc. plur.	2	31
ευς nom.	15	19	*ĕŭs* nom.	1	1
εα (nom. ευς) acc.	11	11	*eum* acc.	2	4
ης gen.	12	43	*ae* gen.	4	77
ον nom.	7	45	*um* nom.	0	6
η voc. (nom. η)	9	15	*a* voc.	0	0
ων voc.	9	22	*o* voc.	0	1
ην (nom. η) acc.	7	82	*am em* acc.	6	49
ην (nom. ης) acc.	4	49	*am em* acc.	3	70
ης voc.	5	14	*a* voc.	1	3
αν (nom. ας) acc.	3	16	*am* acc.	2	47
ιν acc.	4	25	*im em* acc.	0	25
εως gen. (nom. ευς)	1	2	*ei* gen.	0	6
αν (nom. α) acc.	1	3	*am* acc.	2	69
υν acc.	1	9	*ym* acc.	0	1
η nom. plur.	1	8	*a* nom. plur.	0	1
η acc. plur.	0	1			
ευ voc.	1	1			
εως (nom. ις) gen.	1	3	*is* gen.	0	17
ων gen. plur.	0	6	*um* gen. plur.	3	116
ας gen.	0	3	*ae* gen.	3	92
in summa	810	1492		227	1376

Ad 1492 formas omnino exstantes Graecas 327 formae Graecae sunt addendae, quarum Graecae et Latinae terminationes

[1]) Zwiener l. c. p. 180 sq. — Neumann l. c. p. 103 sqq.

metro sunt pares, quas in conspectu non respexi. Horum igitur 1819 nominum Graecanico modo flexorum 810 metro postulantur, 1009 metro non postulantur. Maior igitur pars metri necessitate non est postulata.

Caput III.

§ 17. De metri diversitate [1]).

Sed iam tempus est inquirere, num quid metri diversitas ad Graecas formas contulerit retinendas.

Conspectus II,
e quo, quot formae Graecae in versibus dactylicis iambicis lyricis [2]) inveniantur, apparet.

Inveniuntur	1522 form. Graec. in	77762 vers.	dactylicis,	in centenis	1,9
	44	6186	iambicis,		0,7
	166	5397	lyricis,		3,08.

Hoc ex conspectu elucet saepissime terminationes Graecas in versibus lyricis a poetis esse servatas. Atque Zwiener (p. 191) recte mihi censuisse videtur poetas Romanos, cum Graecam horum recordarentur originem metrorum, etiam in declinandis nominibus Graecis Graecos esse secutos, praesertim cum terminationes Graecae his metris persaepe melius satisfacerent. Paulo minor numerus terminationum est Graecarum, quae in versibus exstant dactylicis. Etenim Graecas formas ad versus dactylicos pangendos persaepe aptiores, interdum solas idoneas fuisse supra fusius demonstravi. Sed aliquanto minor numerus Graecarum formarum exstat in versibus iambicis, id quod neminem offendere potest. Etenim metrum iambicum linguae Romanae optime convenire atque Latinas formas ad senarios pangendos persaepe aptiores esse quam Graecas quis est qui nesciat?

[1]) Zwiener l. c. p. 189 sq.

[2]) Brevitatis causa hoc nomine significavi versus anapaesticos, hendecasyllabos, asclepiadeos ceterosque.

§ 18. De poetarum usu [1]).

Iam conspectum tertium do, ut cognoscatur, quot formas Graecas et Latinas singuli poetae adhibuerint, quot e centenis Graece terminaverint quotque centenis versibus inseruerint.

Conspectus III.

Inveniuntur	formae [2]) Graecae	formae [2]) Latinae	centenis in versibus formae Graecae [3])	E centenis Graece flectuntur [4]) formae
apud Palladium	1	12	0,6	7,7
in carm. de Sodoma	1	4	0,6	20
in carm. de Iona	4	7	3,9	36,4
apud Prudentium	117	376	1	23,7
apud Hilarium Pictaviensem .	0	3	0,0	0
apud Victorinum	5	7	0,8	41,7
apud Damasum	8	66	1	10,8
in Probae centone	7	5	0,9	58,3
in ceteris centonibus	1	2	0,3	33,3
in carm. ad senatorem . . .	1	2	1,2	33,3
in carm. contra paganos . . .	7	13	5,7	35
in carm. adv. Marcionitas . .	25	64	1,9	28.1
in Paulini epigrammate . . .	3	2	2,7	60
apud Cyprianum	64	165	1,2	27,9
in carm. de providentia divina .	6	9	0.6	40
apud Victorem	22	28	1	40
apud Hilarium Arelatensem . .	2	1	1	66,6
apud Orientium	8	21	0,6	27,6
apud Prosperum	6	23	0,3	20,7
apud Paulinum Pellaeum . . .	3	3	0,5	50
apud Sidonium Apollinarem . .	305	287	7,2	51,5
apud Domnulum	2	5	1	28,5
in Phocae vita Vergili . . .	2	0	1,5	100
apud Paulinum Petricordiensem	17	42	0,5	28,9
apud Avitum	43	56	1,3	43,4
apud Endelechium	3	2	2,3	60
apud Paulinum Nolanum . . .	114	315	1,2	26,6

[1]) Sniehotta l. c. p. 74. — Zwiener l. c. p. 200.
[2]) Cf. Zwiener l. c. p. 127.
[3]) Cf. Sniehotta l. c. p. 74. — Zwiener l. c. p. 200.
[4]) Cf. Zwiener l. c. p. 128.

Inveniuntur	formae Graecae	formae Latinae	centenis in versibus formae Graecae	E centenis Graece flectuntur formae
apud Sedulium	25	80	1,3	23,8
apud Licentium	8	8	5,2	50
apud Symphosium	5	2	1,6	71,4
apud Avianum	3	8	0,4	27,3
in carm. de figuris	33	3	18,3	91,7
in carm. de ponderibus . .	4	7	1,9	36,3
apud Martianum Capellam . .	46	28	4,9	62,2
apud Namatianum	10	22	1,4	31,3
apud Merobaudem	7	5	2,2	58,3
apud Dracontium	261	236	4,3	52,5
in carm. de aegritud. Perdicae .	13	15	4,5	46,4
apud poetas Anthologiae Latinae	43	43	3	50
in carm. ad Flav. Felicem . .	2	2	0,5	50
apud Priscianum in periegesi .	197	204	18 } 14	49 } 49
apud Priscianum in carm. de laude Anastasii	2	3	0,6 } 14	40 } 49
apud Maximianum	2	6	0,3	25
apud Boethium	11	27	1,2	28,9
apud Ennodium	14	74	0,7	15,9
apud Aratorem	31	197	1,2	13,6
apud Benedictum Crispum . .	5	13	2	27,8
apud Corippum	153	128	2,4	54,4
apud Isidorum	4	2	4	66,7
apud Eugenium Toletanum . .	48	45	2,3	51,6
apud Venantium Fortunatum .	95	319	0,9	22,9
apud hos omnes	1819	2997	2,02	37,8.

Contemplantes nos hunc conspectum offendet poetas aetatis huius de qua quaerimus Graecas formas multo rarius adhibuisse quam auctores priorum temporum, praesertim cum respicimus quintam partem nominum Graece cadentium voces formare Hebraicas. Neque hoc mirum existimabimus, quia hos poetas litteris Graecis non satis, interdum omnino non eruditos fuisse iam saepius vidimus, id quod praecipue inde elucet, quod multis in formis Graecis vitia admittunt prosodiaca, qua de re infra fusius tractabo.

E numero poetarum quos tractamus saepissime Graecas formas adamasse videtur auctor carminis de figuris. Etenim

in 186 huius carminis versibus 33 inveniuntur nomina Graece declinata, in centenis igitur 17,7. Sed quia horum 25 in titulis exstant, 5 tantum restant, quae versibus intexuntur, in centenis igitur 2, 7 voces inveniuntur Graecae. Plurimas versibus intexuit formas Graecas Priscianus, qui in centenis periegeseos versibus 18 adhibuit nomina Graece finita. Atque hunc in periegesi Graecorum morem saepissime servavisse facile est intellectu, cum, ut supra (p. 87) fusius demonstravi, Dionysi periegetae opus Graecum in linguam converteret Latinam. Contra in carmine de laude Anastasii 0,6 tantum formas centenis versibus intexuit. Deinde vocum Graecarum sectator avidissimus est Sidonius, qui in centenis versibus 7,2 servavit formas Graecas. Neque aliam fere viam atque Sidonius ingressus est Martianus Capella, quorum utriusque ratio, quippe qui multos hendecasyllabos aliosque quos lyricos supra nominavi panxerint versus, e Graeca horum metrorum satis explicatur origine. Paulo minor numerus invenitur formarum Graecanicarum apud Dracontium. In huius poetae operibus diversa nobis occurrit ratio, altera in carminibus quae dixerim profana, h. e. in „Romuleis" et in „Orestis tragoedia", altera in carmine Christiano, h. e. in „libris de laudibus dei". Etenim in huius centenis versibus unam formam inseruit Graecam, illorum autem 6,3 exstant formae Graecae in centenis versibus. Atque omnino eandem rationem omnes auctores huius aetatis secuti videntur esse. Etenim poetae de rebus Christianis versus facientes velut Prudentius, Cyprianus, Paulinus Nolanus, Arator alii, quamquam nemo negabit eos litteris Graecis non minus quam ceteros fuisse eruditos, rarius formas retinuerunt Graecas quam Martianus Capella aut auctor carminis quod inscribitur „Aegritudo Perdicae". Atque facile est intellectu poetas, cum agerent de deis heroibusque Graecorum, etiam Graecos saepius imitatos esse quam auctores de rebus Christianis versus facientes, quorum formae Graecae nisi ex sacrae scripturae versionibus fere non fluxerunt.

Aliquanto deinde minor numerus est nominum Graece terminatorum in carminibus Venanti Fortunati exstantium, quem ultimum poetarum Romanorum vocare solent. Quod non miraberis

reputans quod dixit Manitius[1]): „*Dass Fortunat Griechisch gekonnt habe, wird durch nichts erwiesen; die Stellen, an denen er von griech. Literatur spricht, sind lediglich Aufzählungen von Namen* (c. 8, 1, 3 f., *ausgedehnter* 7, 12, 25—27, *daselbst Vers* 11 ff.)“. Maxime autem graecissandi rationem sprevit Hilarius Pictaviensis, quippe qui ne unam quidem adhibuerit formam Graecam.

§ 19. Quibus locis versuum Graecae formae adhibeantur[2]).

Iam accedo ad quaerendum, quibus locis versuum poetae imprimis terminationes posuerint Graecas. Primum quidem versus tractemus heroos, quia hoc metro poetae praecipue usi sunt. Contemplanti, quibusnam hexametri locis Graecae exstent formae, apparet has imprimis in fine versus a poetis poni. Etenim ibi 391 formae apparent Graecae, h. e. quarta fere pars omnium nominum Graece terminatorum, quae in versibus herois inveniuntur.

Quibusnam causis poetae, ut Graecas formas imprimis in hexametri exitu scriberent, commoti sunt? Ac primum quidem iam supra (p. 73 sqq.) copiosius demonstravi, quae difficultates poetis occurrerent Romanis versus heroos facientibus. Quod imprimis valet de nominibus propriis Graecis, quae versui heroo persaepe nisi magnis cum difficultatibus inseri non potuerunt[3]). Huius rei insigne exemplum praebent nomina in bacchium aut in ionicum a minore exeuntia, quae nisi in quarto aut sexto pede in hexametrum recipi non potuerunt; atque si in fine hexametri adhibebantur, optimam versus clausulam efficiebant. Qua de causa, ut exemplo utar, Prudentius in fine hexametri posuit formam Graecam *Rŏdŏdāphnen* ham. 234 et Corippus *phălāngas* Ioh. I 78.

[1]) Gesch. d. lat. Lit. d. Mittelalters, Iwan Muellers Handbuch, IX 2. 1. Teil p. 177. — Cf. Elss. l. c. p. 14 sq.

[2]) Neumann l. c. p. 85 sqq. p. 108.

[3]) Cf. W. Meyer, Zur Gesch. d. griech. u. lat. Hexameters, Sitzungsber. d. philos.-philol. u. histor. Klasse d. k. bayr. Akademie d. Wissenschaften zu München, 1884, p. VI p. 979 sqq. — A. Zingerle, Zu späteren lat. Dichtern, Innsbruck 1873, I p. 44—103. — E. Plew, Jahrb. f. Phil. 93 (1866) p. 631—42. — Luc. Mueller[2], De re metr. p. 142 sq. 211 sq.

Deinde iam supra (p. 87 sqq.) demonstratum est poetas Romanos huius aetatis minus ex se ipsis carmina fecisse quam priores auctores ut Graecos ita Romanos imitatos. Imprimis autem priorum versuum memoriam clausulis contineri facile est intellectu. Qua de causa imitationis exempla praecipue in fine inveniuntur versus. Imprimis hoc valet de nominibus propriis quae ex causis supra allatis semel atque iterum in fine apparent hexametri. Quod iam veteres observaverunt, atque Persius in prima satura (v. 92 sq.) hanc consuetudinem irrisit. Atque huiusmodi clausulas ex versibus Graecis persaepe esse sumptas imprimis his dilucide apparet locis, quibus non solum ultimum, sed etiam paenultimum aut antepaenultimum vocabulum Graecae est originis. Ut exemplum afferam, Priscianus (per. 577) clausulam *boreotidăs actas* sumpsit e Dionysi versu 565, qui hoc eodem cadit modo *βορεώτιδας ἀκτάς*. Interdum Latinum nomen cum Graeco coniungitur atque apud multos poetas firmam praebet versus clausulam. Cuius rei illustre exemplum inveni hoc: *plaustra Bootes*, quae clausula apud hos occurrit poetas: Prop. IV 4, 35 Ovid. met. X 447 Sen. Med. 315 Ag. 70 [Sen.] Oct. 238 Germ. Ar. Ph. 139 Luc. II 722 VI 282 Mart. Cap. 27, 10 Boeth. IV 5, 3.

His igitur ex causis permulta nomina Graeca in fine apparent hexametri. Praecipue nomina in *-ης* vel *-ων* vel *-η* desinentia finem obtinent versus, quippe quae persaepe formam praebeant bacchei vel ionici a minore. Rarissime autem pro numero locorum ultimum tenent hexametri locum accusativi tertiae declinationis per *-α* terminati. Atque hoc inde provenire nemo non videbit, quod pleraque nomina hac terminatione instructa dactylum efficiunt, cui locus in fine hexametri non est. Contra huiusmodi nomina primum aut quartum aut quintum versus heroi explent pedem. Atque omnino quaedam eiusdem generis nomina apud multos poetas eodem hexametri loco semel atque iterum occurrunt. Cuius rei ut exemplo utar, semper initio versus haec apparet verborum coniunctio: *Pallados* (*-is*) *armisonae* eaque apud hos poetas: Verg. Aen. III 544 (*-is*) Stat. Theb. I 5, 35 Apol. Sid. c. VI 1 Drac. R. VI 13.

Ex his quas attuli rebus satis elucere existimo plane perversum esse, quod dixit Koenius in libro iam saepius allato

p. 45: „Darum ist's . . . höchst unwahrscheinlich, dass man am Ende des Hexameters geschrieben habe: Midan Oete Ide Aetne Direen u. a. statt Midam usw.". Quae protuli contrarium probant.

Denique ut intellegas etiam in pentametro, in versibus iambicis, hendecasyllabis ceterisque lyricis Graeca nomina in fine versuum valde fuisse adamata, hanc composui tabulam.

Exstant in fine pentametri	26	formae Graecae.
versuum iambicorum	7	
lyricorum	48	

Haec de locis, quibus formae imprimis exstant Graecae, dicenda mihi fuerunt.

§ 20. De vitiis prosodiacis.

Nomina propria a poetis Romanis inde ab antiquissimis temporibus liberius esse adhibita curamque quantitatis in his saepius esse omissam apud omnes constat [1]. Sed quamquam iam a poetis antiquissimis nonnullis in vocibus syllabae quaedam sunt variatae, plura mensurae plane neglectae exempla apud poetas a quarto p. Chr. n. saeculo florentes invenies. Auctores autem in vocibus Graecis praecipue pronos fuisse ad invertendas quantitates facile est intellectu, quia, ut supra (p. 73 sqq.) demonstravi, multa nomina Graeca poetis versus heroos pangentibus Romanis multas praebebant difficultates. Huc accedit quod multi poetarum Christianorum, de quibus agimus, litteris Graecis non ita erant eruditi, ut rectam syllabarum mensuram novissent.

Nunc oritur quaestio, quibusnam causis poetae ut has admitterent corruptelas, sint adducti. Sed quia de hac re recte iam egit Lucianus Mueller in sexto libro operis „de re metrica", mihi pauca dicere liceat. Ac primum quidem poetae metri necessitate sunt commoti, ut veram syllabarum inverterent quantitatem. Atque nomina creticum aut tribrachyn continentia, cum a metro dactylico valde sint aliena, faciliora fuisse ad mutandam quantitatem non difficile est intellectu. Itaque propter solam versus necessitatem contra praecepta poe-

[1]) Cf. Hosius, N. Jahrb. f. Phil. 151 p. 93 sqq.

tarum qui dicuntur classicorum primam syllabam productam habet, ut exemplo utar, nomen *Dānaidum* Paul. Nol. c. XXXI 482. Alteram autem porrectam praebet *Gerȳone* Apol. Sid. c. XIII 13, tertiam a capite syllabam *Hippocrātica* Prud. per. X 498.

Deinde in vocabulis Graecis fieri potuit, ut poetae syllabas per se breves accentu insignitas grammatico producerent. Etenim constat apud Romanos non defuisse, qui in nominibus Graecis aliisque peregrinis accentus servarent externos [1]. Atque hac licentia usi dixerunt producta paenultima Prudentius *Asclepiādem* per. X 42, Maximianus *Socrātem* I 48. Plura talia habes, id quod non mireris, apud Venantium. Ad haec equidem nonnullos addo genetivos et vocativos nominum alterius declinationis in *-ius* desinentium [2], in quibus paenultima syllaba per analogiam ceterorum casuum accentu instructa producitur. Itaque legimus *Genēsi* (vocativ.) Prud. per. IV 36, (genetiv.) Ven. Fort. c. V 2, 67 (cf. p. 39).

Atque consideranti haec exempla his ultimis temporibus iam vergentis Latinitatis persaepe magis ictus metrici et accentus grammatici curam esse habitam quam quantitatis legitimae facile apparebit.

Contra multo saepius accidit, ut syllabae longae absente accentu breviarentur, eaeque hae, quae in Graeco sermone syllabas accentu praeditas aut anteibant aut succedebant. Itaque, ut exemplo utar, Sidonius correpta habet altera formam *Eurĭpidis* c. IX 234. Sed multo magis haec licentia in paenultima admittitur syllaba atque vocum earum, quae apud Graecos sunt proparoxytonae. Ea brevitate adhibentur cum alia tum haec: *Arătus* Apol. Sid. c. XXIII 113 *Pachy̆nus* Prisc. per. 89. Atque hac re in syllabis finalibus correptionem vocalium longarum si non effectam at certe esse adiutam cum Luciano Muellero (p. 442) existimo.

Saepissime autem in nominibus Graecis a poetis hac de causa est peccatum, quia his temporibus Graeca lingua

[1]) Cf. Priscian. Gr. Lat. III 520, 23 (Keil): *nam in peregrinis verbis et in barbaris nominibus nulli certi sunt accentus ideoque in potestate uniuscuiusque consistit, ut quomodo necessarium viderit, sic in metrum ponat.*

[2]) Cf. Priscian. Gr. Lat. II 302. — Serv. ad Verg. Aen. I 451.

itacismi qui dicitur maculis valde erat corrupta, quod vitium iam apud Graecos ultimorum temporum erat pervulgatum. Haec est causa, quod *αι* et *ει* dipthongi vi propria amissa et *η* per *e* vel *i* correptum efferebantur. Itaque habes apud Prudentium, quem exempli causa affero, correpta haec [1]: *Mĕandros* cath. VI 142 (*Μαίανδρος*) — *bĕryllum* ps. 855 (*βήρυλλος*) — *Polyclĭti* per. X 269, quo loco *e* longum corripitur in *ĭ*.

Item Graecum *-ω*, cum propriam exuisset naturam, saepe est correptum velut in vocabulo *idŏlum*. Ac ne *οι* quidem hi Christiani poetae corripere veriti sunt velut *Menŏecēa* Drac. l. d. III 261, nisi scribendum est *Menĕcea*. Hic igitur mutatus modulus sonorum, quem itacismum vocare solemus, ad corrumpendas prosodiae leges longe efficacissima erat causa.

Tum illa lex metrica Latinorum, qua vocalis ante vocalem corripitur, effecit ut nonnullae vocales breviarentur. Qua de causa exceptis 7 locis constanter legimus *Iŏannes*.

Nonnullis in nominibus propter etymologiam falsam vulgi ore vera prosodia est mutata. Cuius rei ut exemplum afferam, vox Graeca *charisma* vel *carisma* primam habet syllabam porrectam his locis: Prud. c. S. II 1046 per. XIII 61 Ven. Fort. v. M. IV 416, quia non Graecum *χᾰρις*, sed Latinum *cārus* vel *chārus* respiciebatur.

Denique enumerentur eae formae, in quibus, quamquam ipsius vocalis natura non immutatur, tamen nonnullarum syllabarum mensura eo pervertitur, quod poetae geminatae consonae dimidiam partem detraxerunt. Itaque legis *Procŏnesus* Prisc. per. 556 pro *Proconnesus* alia.

Perscrutantibus deinde singulos poetas facile apparebit plurimis locis contra prosodiae leges peccasse Venantium Fortunatum [2]. Qui ea interdum utitur libidine, ut de versibus dubites. Illustrissimum huius rei exemplum praebet versus, in quo quattuor invenis vitia prosodiaca (c. VII 12, 25):

Archȳta Pythagoras Arătus Cato Plāto Chrȳsippus.

Itaque hac quoque re comprobatur, quod dixit Manitius eum litteras Graecas non satis novisse (cf. p. 97). Deinde vitiis ad

[1]) Cf. Krenkel l. c. p. 7 sq.

[2]) Cf. indicem rei metricae in editione Leonis p. 422 sq.

prosodiam pertinentibus valde abundant Afri [1]), e quibus quantitatum legibus spernendis insignis est Dracontius. Nec non Hispaniensis poeta Prudentius multos tales errores in carminibus admisit, quem itacismi vitiis saepe succubuisse demonstravit Krenkelius (l. c. p. 7 sqq.). Poetarum deinde Gallorum saepissime contra severioris prosodiae praecepta metri necessitate adductus peccavit Sidonius. Sed ne Italiae quidem poetae in mensura nominum Graecorum vitiis abstinuerunt prosodiacis. Satis est mentionem fecisse Paulini Nolani et carminis adversus Marcionitas [2]). Horum atque omnino omnium modestissimus fuit Priscianus, id quod mirum non existimabimus, cum, ut iam saepius dixi, Dionysi carmen in linguam Latinam verterit.

Conclusio.

Iam ad finem perveni. Atque docuissse mihi videor a poetis iam vergentis Latinitatis nomina Graeca Graecis terminationibus multo rarius instructa esse quam ab auctoribus priorum temporum atque in his legitimam quantitatem syllabarum saepe esse inversam. Etiam id me probavisse spero veram mensuram nominum Graecorum duplicem ob causam imprimis inverti potuisse, necessitatem metri et vulgi ore mutatam mensuram legitimam. Id quoque addo plurimas formas Graecas quattuor ex fontibus fluxisse: ex metri necessitate, e priorum poetarum imitatione, ex illis priscis versionibus librorum divinorum, quibus passim voces Graecas insertas videmus, ex vitae usu cotidiano conventibusque crebris Christianorum. Etiam id satis mihi demonstrasse videor a poetis nomina Hebraica mensura syllabarum legitima plane neglecta ad arbitrium metro esse accommodata. Denique silentio premere nolo quod in horum auctorum carminibus perlegendis me observasse puto plerosque eorum idoneam Graecae linguae scientiam non habuisse.

[1]) Consentius Gr. Lat. V 392, 3 (Keil); item 12.
[2]) Cf. Oxé l. c. p. 16 sq.

Index auctorum.

Index locorum critice tractatorum.

Vita.

Carolus Eistert natus sum in vico *Tempelfeld* prope *Ohlaviam* posito a. d. XIII. Cal. Sept. MDCCCLXXXIV patre *Carolo* matre *Aemilia* e gente *Feigs*, quos ambos adhuc valere maxime gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis in schola publica imbutus et privatim instructus ab archipresbytero *Wernicke*, cui gratias ex animi sententia ago quam maximas, per octo annos gymnasium frequentavi Ohlaviense. Unde testimonium maturitatis rite adeptus vere anni MCMVI hanc adii universitatem Vratislaviensem studiis daturus operam philologicis et historicis. Vere anni sequentis Monachium me contuli, unde reversus per unum annum Vratislaviae stipendiis factis studiis denuo incubui. Docuerunt me viri doctissimi:

Baumgartner Cichorius Foerster Gercke O. Hoffmann Kabitz Kampers Kaufmann Kühnemann Seger Skutsch † Stern v. Wenckstern Wendland — Bitterauf Drerup v. Drygalski Grauert v. Heigel Jansen †.

Admiserunt me ad exercitationes proseminarii et seminarii philologici *Foerster Gercke Skutsch †*, ad exercitationes archaeologicas *Foerster*, historicas *Cichorius Grauert v. Heigel Kampers*, geographicas *v. Drygalski*, philosophicas *Baumgartner Kühnemann*. Ad societatem Graecam comiter mihi aditum praebuit *Gercke*. Quibus omnibus viris gratias ago quam maximas, imprimis autem *Foerstero*, qui hanc dissertationem benigno suo consilio quam maxime prosecutus est.

Theses.

1. Venantium Fortunatum Graecam linguam non novisse contendo.
2. In Probae centonis Vergiliani versu 36 cum Schenkelio editore (C. S. E. L. XVI Vindob. 1888) *Musaeum* esse legendum pro *Moyseum*.
3. In Aratoris de actibus apostolorum libri I vers. 692 lectionem codicis Cantabrigiensis *Moysen* in textum esse recipiendam censeo.
4. In Aechyli Choephor. vers. 74 pro *ἰοῦσαν ἄταν* legendum est *ἴᾶσιν μάταν*.